NICOLAI MYLERI
ab Ehrenbach/ JC[ti],

NOMOLOGIA ORDINUM IMPERIALIUM,

h. e.

De

Principum & Aliorum Statuum Imperii Rom. Germanici Obligatione legali, ſeu Legalitate,

Liber ſingularis:

cum

Sacr. Cæſar. Majeſtat. Privilegio, ad XX. Annos,

TUBINGÆ,

Impenſis JOHAN-GEORGII COTTÆ, Academiæ Bibliopolæ, Literis IOHAN. HENRICI REISII.

ANNO M. DC. LXIII.

Digitized by Google

Digitized by Google

Lectorem æquanimum
LIBRARIUS
Academiæ Tubingenſis,
utpote
OPERIS MYLERIANI,
De
Statuum Imperii Rom. Germ. Jure,
deſtinatus EDITOR,
Feliciter agere jubet ac ſalvere!

PRæmiſſam nuperis nundinis Archologiam Ordinum Imperialium, Eorundem NOMOLOGIAM ſubſequi nunc voluit Autor utriusque Eminentiſſimus; ut conſtaret, non omnibus legibus ſolutos eſſe Principes; quod axioma pseudopoliticum ore calamoque quorundam exitioſo circumfertur. Hujus autem inſtituti rationem, cum ipſemet

operis pulcherrimi concinnator, ob ſplendidam Legationem, à Sereniſſimo Wirtembergiæ Duce &c. iterum gratioſiſſimè injunctā, peregre jam abſit, dum operæ typographicæ ad finem decurrunt, mihi tantisper reddendum intelligo, & ſatisfacere laboro. Neque tamen, ut prolixè id præſtem, neceſſe apud illos videtur, qui juris publici, quod ſacrum Imperium Rom-Germanicum concernit, penitiorem notitiam acquiſiverunt. Iſtis enim abundè notum eſt, quicquid de hoc argumento tradi poteſt debetque, vel ex hiſtoria gentis, de qua agitur, vel ex doctrina civili depromendum eſſe, ac invicem modò conjungendum, modò ſubjungendum, prout particularis materiæ, quæ tractanda ſuscipitur, interior genius illud depoſcit. Quemadmodum igitur Nobiliſſimo Domino Autori, cum de priſca Ordinum Imperialium origine curas ſuas nuper publicaret, hiſtoriarum præcipuè latifundia exhaurire cordi fuit: ita nunc, poſteaquam hac in NOMOLOGIA, ſignanter & rei convenienter, ut putamus, ſic inſcripta, de

pta, de Principum & aliorum Statuũ Imperii Roman. Germanici Obligatione legali, ſeu Legalitate, cui voci, propter tritam & jam vulgo notam ſignificationem iſtic locum dedit, agere ipſi decretum eſſet, hiſtoriæ patriæ monumenta, cum prudentiæ civilis dictatibus, affabrè permiſcuit ac conjunxit. Simul autem, quoniam vidit, hanc de obligatione legali partem à celeberrimorum juris myſtarum autoritate neutiquam abhorrere, eorundem teſtimoniis, ex inſtructiſſima, quam domi habet, bibliotheca conquiſitis ſubinde illuſtravit; conſentientibus paſſim Doctoribus pro ſe adductis, diſſentientibus vero vel ſolide refutatis, vel ſcita fundataq; diſtinctione, qua licebat, judicioſe conciliatis, pauculis admodum, ut poſterioribus curis, ſi quam reſpirationem reviſionemque graviſſimæ functionis negotia indulgebant, aliquid reſervaret, neque circumſtantiarum, quas vocamus, ſæpius rem inſigniter variantium immemor videretur, in ancipitio

relictis. Interea vero privatorum ſic ratio habita eſt ſuffragiorum, ut longe major publicorum actorum, à viro in talibus exercitatiſſimo, ubique haberetur. Nimirum, pro ſua in rebus expediundis prudentia, probe novit, his pene ſolis authenticam & irrefragabilem iſtic antoritatem ineſſe, ab illis è contra, quæ prioris ſunt generis, illuſtrationem uberioremque explicationem potiſſimum conferri. Quantum autem publicorum ejusmodi actorum laudationem attinet, eam non modo ex editis, quæ omnium manibus teruntur, petitam eſſe, induſtrius lector multis in locis deprehendet, ſed ſæpius ex iis etiam, quæ vel in clauſis inclutorum imperii ordinum tabulariis, illinc bonæ cujusdam fortunæ nutu ſcriptori excellentiſſimo communicata, hinc inde adhuc deliteſcunt, vel ab amicis, in maxima dignatione poſitis, quos literarium commercium & obitæ legationes illi reddiderunt familiares, cum ſub incude propemodum calerent, recentes ad ipſum transmiſſa, ipſo raritatis pretio ſeſe commendabuut. Tacebo

permul-

permulta juris naturalis capita, per occaſionē arduarum quæſtionum, quæ aliunde decidi vix recte poterant, in hoc libro paſſim obvia, dextre propoſita eſſe, peregregieque discuſſa. Verum hæc omnia, etiam nobis ſilentibus, lecturo cuivis haud difficulter pateſcent; nos ad votorum pietatem revertimur, & ut bono iſta, quo unice tendunt, publico ex aſſe cedant, toto animo precamur; de grata laboris agnitione ac celebratione, quam optimo cuique; erga autorem, de Republ. Germanorū actione & ſcriptione indefeſſa meritiſſimum, ad plura ejusmodi luci danda promtiorem futurum, materiæ dignitas & utilitas ultro ſuggeret, ſatis ſuperque certi. Ita valere lectorem noſtrum jubemus, & ad intuenda proxime capitum hujus libri lemmata eundem benivole invitamus. Scriptum Tubingæ 28. Auguſti, Anno orbis redemti M DC LXIII.

SUM-

SUMMA PRIVILEGII
IMPERATORII.

SAcræ Cæſareæ Majeſtatis gratioſiſſimo privilegio, die V. Junii Anno M DC LXII. proviſum eſt, ne quis NICOLAI MYLERI ab Ehrenbach/ JCti, Opus de Jure publico Imperii Romano-Germanici (cujus altera pars NOMOLOGIA nunc primum publicatur) absque JOHAN. GEORGII COTTÆ, Academ. Tubingenſis Librarii, ejusve hæredum & ſucceſſorum conſenſu & licentia, clam vel palam imprimat, aut ubiubi impreſſum in Germania divendat; idque ad annos viginti, à primæ Editionis ſingularũ partium die computandos, ſub pœna amittendorum librorum, & ſolvendarum decem auri puri Marcarum: ſicuti id uberius in ipſo privilegii autographo definitur. A quo damno ut ſibi omnes caveant, hæc in fronte viſum eſt monere.

CAP. I.

CAPUT I.

De Principum & Statuum Imperii legalitate in aſſertionibus in genere.

SUMMARIA.

1. *Princeps in aſſertionibus verax eſſe ſolet & debet.*
2. *Fraus in Illuſtribus fœda eſt.*
3. *Verificatur ſanctitas fidei in Statibus Imperii Romani.*
4. *Quod exemplo Sigismundi, Caroli V. Impp. & Philippi Haſſiæ Landgravii illuſtratur.*
5. *Dictum Principis plenam facit fidem.*
6. *Q. An hoc etiam verum ſit in Principibus & Comitibus Imperii?*
7. *Quod affirmative deciditur.*
8. *Conciliatio diſcrepantium opinionum per diſtinctionem.*
9. *Reges & Principes abſoluti de facto utplurimum procedunt.*

QUod graviter *Guntherus* de Friderico Barbaroſſa Imperatore cecinit in Ligurino *lib. 3. fol. 60.*

——— Nudo jus & reverentia verbo
Regis ineſſe ſolet, quovis juramine major.

Id Hiſpani laudabili ac communi dicterio proverbialiter ita referunt: *Palabra de Rey per un gran ſagramento*; Verbum Regis magnum eſt Sacramentum. Beſold. *de fœderib. cap. 6 num. 5.* Imitantur enim Magnates ceu DEI locum tenentes Majeſtatem ſummi DEI, cujus verba ſunt juramenta, leges divinæ & ſacratiſſima jura. Quicquid enim DEUS dixerit, effectu non caret, ac ſi juramento promiſerit, tradente Philo. Judæo *in allegoriis legis fol. 75.* Ac promiſſa Deorum pro factis eſſe ſcri-

bit *Virgilii* Interpres apud Vincent. Turturet. *de Nobilitate Gentil. l. 3. cap. 9.* Proinde de ſanctitate fidei ita Ariſtoteles ad Alexandrum Magnum ſuum diſcipulum: *Cave ne infringas datam fidem, quia hoc convenit infidelibus juvenibus & meretricibus. Andr. ab Enea d. pact. n. 452.* Et hoc alibi optimè repetiit Poeta Guntherus:

Non decet in labiis verſari lubrica Regis,
Non decet ore ſacro mendacia cadere Regem,
Sancta & plena ſuo ſunt Regia pondere verba
Dicta ſemel, nullum patiuntur jure recurſum.

Gunth. *in Ligur. l. 3. v. 513.*

II. Nam ubi non eſt pudor, nec cura juris, ſanctitas, pietas, fides, inſtabile Regnum eſt, ait Seneca *Tragic. in Thyeſte act. 2.* Quo enim major authoritate & gradu eſt Princeps, eò major, excellentior & conſtantior in ſervanda fide eſſe debet. Hinc præclarè Thucydides: *Fraus cum in omnibus fœda, tùm verò in iis, qui majori dignitate ſunt præditi, fœdior eſt, quam aperta violentia.* Thucydides *de bello Pelop. l. 4.* Ac Fides ſi cunctis ordinibus, Illuſtri præſertim & Nobili Viro neceſſaria eſt. Ille enim civiles ſocietatis & communionis habenas regit, vel urbanè & civiliter inter pares & infimos ſe gerendo, vel ſanctè juſtèque juſtitiam adminiſtrando. Vincent. Turtur. *de Nobilit. Gentil. lib. 3. cap. 9.* Unde dicere ſolitus fuit prudentiſſimus *Arragoniæ Rex Alphonſus:* Tantum valere debere ad fidem Principis verbum, quantùm privatorum hominum jusjurandum. Petr. Greg. Tholoſ. *de Republ. lib. 8. cap. 8. num. 10.* Idem egregiè repetiit Petrus Matthæus Hiſtoricus inſignis: *La tromperie eſt par tout odieuſe, mais elle l' eſt d' avantage aux princes, dont la parole doit eſtre immuable,* Pierr. Matthieu *en l' hiſtor. Henr. IV. tom.*

1. liv. 2.

1. lib. 2. narrat. 1. pag. 214. Dn. Limnæus *ad capit. Carol. V. Imper. ad artic. 31. Verb.* Steht und Veſt.

III. Et hoc de omnibus illuſtri loco prognatis perſonis, præcipuè verò *de Principibus ac Statibus Imperii Germanis*, æquè ac de Regibus ipſis deprædicari debet. Quorum ſimplex verbum, promiſſio & aſſertio ſimplex æquè ac juramentum & ſacrata atteſtatio plenam fidem meretur; Idque ob antiquiſſimum ſervatæ fidei fidelitatis elogium ab ipſis Scriptoribus Romanis obtentum. Nam ipſe Imperator Galba, Gentem Germanam multis experimentis fidiſſimam eſſe, ingenuè teſtatus eſt apud Sueton. *in Galba cap. 12.* ac Maximus Imperator in acerrimis periculis Germanorum potiſſimum fidei propter ſummam fidelitatem confiſus eſt, teſte Herod. *f. 180. hiſt. in Maxim. lib. 8. vid.* Henr. *Bebel. Profeſſ. olim Tubing. tr. de laudib. Germ. c. 11. per tot.* ſiquidem Proceres in Imperio Romano Germanico maximis reſplendent dignitatibus, ac cum illuſtri & excelſo loco ſupra communem ſortem ſint evecti, univerſum orbem, Prudentiæ, Virtutum, præſertim verò fidei radiis illuſtrare debent. Joann. Limnæ. *in Iure publ. lib. 4. c. 6. n. 48.*

IV. Quod uno vel altero Principum Germanorum exemplo illuſtratur. Nam de Imperatore *Sigismundo* referunt Scriptores, quod is veterano quodam milite promiſſa exigenti, cum diceret; *immoderatam fuiſſe ejus petitionem*; Hic autem reſpondiſſet: *Poteras negare, cum peterem: nunc ſine turpitudine, quod promiſſum eſt, reſcindere non poteris*: tùm ſubjecerit: *Si ex duobus alterum me ferre oportet, faciliùs rerum, quàm famæ jacturam ſubibo.* Æneas Sylvius *lib. 3. Comment.* in Panormit. Theodor. Bernec.

in Tuba Pacis fol. m. 79. Memor ſine dubio illius T. Livii dicti: *quod famæ & fidei damna majora ſint, quàm quæ æſtimari poſſunt.* Livius *hiſt. decad.* 3. *c.* 31. Majeſtaticum quoque Exemplum *in Carolo V.* Imperatore habemus; Qui *cum Martino Luthero* (quem Pontifex Maximus Leo X. diris execrationibus, quaſi Eccleſiæ Romanæ hoſtem devoveret,) fidem dedit, ut ad Comitia *Anno M D XXX.* Wormatiæ celebrata cauſam dicturus, ſecurè ire & redire poſſit: Quo cum veniſſet, *Eccius Theologus* in Eum, eodem modo & jure, iisdemque pœnis, quibus ante centum annos in *Ioannem Huſſum* & *Hieronymum de Praga* animadverti cupiebat, ac fiducia Concilii Conſtantienſis decreti, fidem hoſtibus ſervandam non eſſe contenderet; Nihil aliud impetrare poterat ab Imperatore *Carolo V.* quàm hanc generoſam Reſponſionem: *Etiamſi fides toto exularet terrarum orbe, tamen Imperatori tenendam eſſe, utpote, qui hâc ſolâ fide, nullo verò metu cogi & aſtringi poſſit*, his emphaticis verbis: Wann ſchon glauben zuhalten / nicht mehr in der gantzen Welt / bräuchlich wäre / ſo ſolte es doch ein Keyſer billich thun. Zenoch *in vita Caroli V. lib.* 1. Juſt. Lipſ. *in monit. Polit. lib.* 1. *c.* 13. Itaq; Imperator, ne ſecuritas publica violaretur equitum turmas aliquot *D. Luthero* dari juſſit, quouſque ſalvus & incolumis domum reverti ſſet. Joan. Bodin. *de republ. l.* 5. *ſub num.* 599. *fol.* 937. Memorabile hujus loci occurrit quoque *Philippi Haſſiæ Landgravii* Magnanimi Principis apophthegma. *Tres eſſe notas atque characteriſmos Principis; Monetæ ſc. bonitatem, itinerum ſecuritatem, & in ſervando promiſſo fidem.* Matth. Bernegg. *obſerv. Hiſtoric. Polit.* 24.

V. Unde fit ut dicto Principis Imperii citiùs & certiùs,

tiùs, quàm aliorum juramentis fides habeatur, ac in promiſſione Principis fides maximè exuberare cenſeatur. Jerem. Settſer. *d. Jurament. libr. 1. cap. 16. num. 6.* Cujus verba propter dignitatis ſuæ lucem, juxta Reſponſum JureConſulti in *l. unic. §. 1. D. d. offic. Præfect. Præt.* majoris ſunt vigoris & efficaciæ, quàm hominum privatorum *per cap. in noſtra X. de teſtibus arg. l. 3. D. de teſtibus* Menoch. *l. 6. præſumpt. 59. num. 2.* Nicol. Everard. *de teſtibus cap 5. ſecund. part. princip. n. 10.* Martinus Magerus *d. advoc. armat. cap. 9. num. 105.* Et hoc ante eum in terminis Epiſcopi Imperii, Jacob Heinrichmann. *Conſil. 2. n. 56. in Appendic.* Nihil enim eſt quod in Principe magis præfulgere debeat, quàm recta fides *l. inter claras. 8. C. d. ſumm. Trinit.* Id quod tàm de fide politica, quàm Chriſtiana intelligi poteſt. Nevizan. *Conſil. 12. num. 28. Conſil.* Albert. Brun. Eique convenit illud Baldi dicterium *ſemel locutus eſt, DEUS, illudque ibidem ſubjiciens: Quod ſcripſi.* Ideoque Princeps debet habere unum calamum, & unam linguam, & non plures, quia ſcriptum eſt, quæ proceſſerunt à labiis meis non faciam irrita; Debet eſſe immobilis, ſicut lapis angularis, & Polus in Cœlo uti hæc Baldus *in Conſil. 327. num. 3. vol. 3.* Ac in Principe ceu fonte juſtitiæ conſtans debet eſſe voluntas. Roland. à Valle *Conſil. 2. num. 152. vol. 1. ac Conſil. 13 num. 54. vol. 3.* Quod latè deducit Scipio Amirat. *ad Tacit. lib. 17. diſcurſ. 1.* Joan Althus. *Polit. cap. 25. num. 29.* latiſſimè Jacob. Alcman. *in Palaſtr. conſultat. 6. fol. m. 312. ac conſultat. 8. f. m. 738.* Exinde Principes, Marchiones, Comites & Barones Imperii maximam præſumptionem candoris, virtutis, integritatis & legalitatis præ ſe habent, qui incorruptibiles eſſe judicantur, ac quod faciunt, juſtè faciunt. Quas Fidei & candoris qualita-

tes Principibus aliiſque Viris illuſtribus Germaniæ æquiſſimo jure Imperii convenire, tradit per deductiones varias Joan. Borcholt. *Conſil. 7. in Princip.* Martin. Mager. *d. advocat. armat. c. 11. num. 41. & ſeqq.* latè Petr. Premus *d. ſecuritate. quæſt. 7. pag. m. 55.* Georg Barchamp. *in radice clauſ. cap. 31. §. 3. num. 40. & ſeqq.* eleganter Alemannus *in Palæſtra Conſultat. 6. rat. decidend. 4. fol. m. 312.*

VI. Cæterum quàmvis hæc ita ſpecioſè à Jure-Conſultis Practicis, præſertim Germanis tradita ſint; Attamen id à multis in controverſiam ducitur; Cum hæ aſſertiones in Imperatore & Regibus abſolutis tantùm

Q. vera ſint; *An ea quoque in Principibus & Comitibus Imperii locum obtineant? Ac an Principis Imperii aſſertioni plena fides adhibenda ſit?* Sane multi ſunt qui *hoc negant*, ac hoc theorema non aliter, niſi de Principibus abſolutis, Superiorem non recognoſcentibus verum eſſe perhibent; Inter quos Canoniſtæ etiam *Summum Pontificem* recenſent, Quorum Catalogum recenſet & ſequitur Anton. Gabriel. *Comm. Concluſ. tit. de probat. concluſ. 2. n. 20.* Maſcard. *dict. Concluſ. 1227. num. 24.* Cævall. *in Comm. opin. pecul. quæſt. 897. num. 179.* Peregrin. *de jure fiſci lib. 4. num. 26.* Qui prærogativam & privilegium textus *in Clem. un. de probat.* in aliis Principibus inferiorib. locum non habere cenſet. Auguſt. Barboſ. *in dict. Cl. un. num. 11.* Quibus aſſentiunt ex Germanis Mynſinger. *cent. 4. Obſ. 34. num. 5.* Joan. Gœddæ. *vol. 4. Conſ. Marp. 37. n. 266.* Ubi in ſpecie hanc præeminentiam Epiſcopo Metenſi denegat. *ac n. 891. ut & conſil. 16. n. 455. vol. 4.* Caſpar. Klock. *de contribut. cap. 7. n. 63.* Volcmar. Heſs. *tr. de teſtib. cent. 1. part. 1. n. 1. & ſeqq.*

VII. Veruntamen ego *Contrarium* aſſerrere nullus

dubit

dubito, quod Principis Imperii aſſertioni non minus quàm alterius Principis abſoluti, plena fides adhibenda ſit. Nam quod Principi ſupremo & abſoluto, ejusve dicto aut ſcripto plenè credatur, fit propter *Excellentiam ſuæ Perſonæ*, ac propter dignitatem illuſtrem, quam in Imperio aut Regno præ ſe fert. Quæ unica ratio pro juſta credendi cauſa ab Interpretibus eſſe perhibetur, *arg. l. unic. §. 1. ibi:* propter dignitatis ſuæ lucem, *D. de offic. Præfect. Prætor. l. 3. de teſtib.* Maſcard. *de probat. concluſ. 1227. num. 85.* Menoch. *de præſumpt. libr. 2. præſumpt. 10. num. 26.* Sicuti ſpeciale eſt in Principe ſupremo, qui cum diſpenſat contra Jus Gentium, præſumitur ex juſta cauſa ad juris gentium relaxationem motum fuiſſe. *Arg. cap. quæ in Eccleſiarum, X. de conſtit.* Ubi Felin. & Canon. Volcman Heſs. *de teſtib. cent. 1. part. 1. num. 3.* Anton. Freündeberg. *tract. de reſcript. morat.* Quod latius deducit Franc. Cûrt. Senior. *conſil. 49. num. 50.* Principes autem Imperii in Ducatu ſuo eâdem ferè dignitate gaudent, quâ Imperator in Imperio. Cum in ſuis territoriis quoad ſubditos regalem dignitatem habeant & exerceant: Imò in ipſa Imperii adminiſtratione Summi Imperii participes facti ſunt; quod indies in Comitiis publicis videmus. Zaſius *conſil. 1. num. 29. libr. 2.* Weſenbec. *conſil. 27. num. 29. libr. 1.* Schrader. *de feudis. part. 2. part. 9. Princip. ſect. 10. num. 36.* Gail. *2. obſerv. 57. num. 7.* ac imperialia jura in ſuis territoriis exercent. Anton. Freundenb. *de reſcript. morat. concluſ. 5. num. 88.* Caſp. Klock. *de contrib. cap. 4. num. 143. & ſeqq.* Carpzov. *in Prax. Crimin. part. 3. cap. 110. n. 22. & ſeqq.* Meritò igitur eaſdem præeminentias & prærogativas dignitatis, noſtris quoque Principibus Germaniæ attribuimus, quæ alias alii abſoluti Reges & Prin-

Principes ratione fidei & legalitatis obtinent, & quibus de jure utuntur & fruuntur. Ita in terminis Principe ſuperiorem recognoſcente tradit ex Scriptoribus Italicis Carol. Ruin. *conſil. 175. num. 15. vol. 1.* Marian. Socin. Jun. *conſil. 92. num. 2. vol. 2.* Marc. Anton. Natta *conſil. 8. num. 43.* Albert. Brun. *conſil. 1. num. 38.* Aimon. Cravet. *de antiquit. tempor. part. 1. num 41. Quos allegat & ſequitur* Cæphal. *conſil. 170. num. 49. lib. 2. ubi tradit.* Cum Reverendiſſimus Caraciolus in literis narret, curam Archivi Domino Baptiſtæ fuiſſe commiſſam, per olim Mediolani Ducem, ac propterea in hiſce narratis fecerit fundamentum & illi officium confirmarit, admodum approbando ejus legalitatem, neſcio videre quare non conſtet, illum habuiſſe authoritatem exercendi munus Regiſtratoris. Farinac. *de teſtib. quæſt. 36. cap. 3. num. 84.* Beſold. *de majeſt. cap. 9. num. 4.* Matth. Weſenbec. *conſil. 4. num. 77.* Ubi tradit, *quod Literæ à Principe Imperii ſigillatæ plenè probent, etiam contra Tertium per c. cum cauſam ubi Panormit. X. de Probat.* Utpote quæ magis publicum ſint Inſtrumentum, quam quod à Notario confectum eſt. Ac quod ex notoria Germaniæ conſuetudine Literis Ducum, Marchionum, & Comitum credatur & plena fides adhibeatur, teſtatur quoque Hieronym. Schurff. *conſil. 7. num. 6. ac conſil. 39. num. 1. & 2. cent. 1.* Jacob. Heinrichman. *conſil. 2. num. 56.* in appendice; De Epiſcopo loquens Modeſtin. Piſtor. *illuſt. quæſt. 70. num. 4. ubi* Jacob. Schultes *in addit. num. 6.* Nicol. Reuſner. *conſil. 22. num. 51. libr. 3.* Qui de Epiſcopo Imperii ita reſpondit. Idem de Principe Electore ſcribit & teſtatur Joan-Gæddæus *vol. 4. conſil. Marpurg. 50. num. 49.* Thom. Merckelbach. *conſil. 17. num. 58. vol. 2.*

VIII. Quas *diſcordantes opiniones* in concordiam adhibita

hibita diſtinctione de onere probationis ſubeundo deducere tentat Maſcard. *de probat. concluſ. 1227. num. 28.* Scilicet, quod Aſſertio Principis abſoluti plenam fidem adeò quidem mereatur, ut probationem in contrarium non admittat. Unde Doctores dicunt, quod Principi abſoluto & ſuperiorem non recognoſcenti, ſive de jure, ſive de facto credendum ſit. Roland. à Valle. *conſil. 1. num. 149. vol. 2.* Secus tamen eſſe in Principe ſuperiorem recognoſcente, quales ſunt Principes Imperii; quoniam licet hiſce inferioribus Principibus plena fides adhibeatur; attamen contra eorum dicta aut ſcripta probatio in contrarium admittatur. Socin. Senior. *conſil. 87. vol. 3.* Carol. Ruin. *conſil. 175. n. 15. vol. 1.* Mynſing. *cent. 4. obſerv. 34. num. 5.* Johan. Geddæ. *conſil. Marpurg. 16. num. 415. vol. 4.* Cævallos. *Commun. contr. Comm. Q. 897. n. 179.* Auguſt. Barboſa *ad Clem. 1. n. 11. de probat.* Quam diſtinctionem relative adprobat quoque Caſpar. Klock. *de Contrib. cap. 7. n. 63.*

IX. Verum enim verò cum Reges & Principes abſoluti plerunque regia manu, & ex abſoluta poteſtate, adeoq; de facto ut plurimum procedant, multa quoque ad ſuggeſtionem Aulo-Politicorum decernant, juſtitiæ & æquitati diſſentaneum non eſt, ut etiam Regis abſoluti Decretum, Reſcriptū & Aſſertio, contraria probatione per indirectum elidi, & declarari poſſit, ſicuti aliquoties in Gallia contigit. Gloſſa *in Clem. 1. de probat.* Ubi Auguſt. Barboſa. *num. 16.* Menoch. *conſil. 100. n. 25.* Cravetta *de antiquit. tempor. part. 1. cap. 2. num. 14.* Mynſinger. *dict. cent. 4. Obſerv. 34. num. 7.* Klock. *dict. cap. 7. num. 63.* Farinac. *part. 4. deciſ. R. R. 523. num. 7.* Siquidem per importunas preces, & per inverecundam petentium in-

Digitized by Google

hiationem Princeps multoties, etiam non concedenda concedit, quæ ſi probatur conceſſio nullam omnino vim habent. Id quod reſcripto ſatis querulo conteſtati ſunt Imperatores Gratianus, Valentinianus & Theodoſius, dum reſcripſerunt: Sed quoniam pleriq; ita in nonnullis cauſis inverecunda petentiū inhiatione conſtringimur, ut etiam non concedenda tribuamus: Nec reſcripto quidem noſtro adverſus formam latæ legis, loci aliquid relinquatur. *in l. 1. C. de petit. bon. ſublat. lib. 10. cap. ſi motu proprio. ibi* vires nolumus obtinere *X. de prabend. in 6 l. 1. §. quæſitum. D. de appellat.* Honded. *libr. 1. conſult. 27* Petr. Gregor. Tholoſan. *de reſcript. lib. 1. cap. 30. num. 1.* Polydor. Ripa *Obſervat. ſingul. 177. num. 4. & 5.* Pratus *controverſ. jur. cap. 27. num. 7. & 8.* Franciſc. de Amaya. *ad l. un. C. de collat. donat. num. 58.* Ego *latius in tr. de* Reſcriptis *hoc deduxi.*

CAPUT II.

De Principum & Comitum Imperii legalitate & bona fide in tractatibus & contractibus aliisve actionibus in ſpecie ſic dictis; Ubi per exempla hoc illuſtratur.

SUMMARIA.

I In Principe nil mali præſumitur.

II. Principis Imperii Contractus ſunt bonæ fidei.

III. Princeps Imperii Contractum à ſe initum, velut alius Privatus ſervare tenetur.

IV. Crimina in Principe Imperii non præſumuntur.

V. Quod declaratur ex ſubjectis ſpeciebus.

VI. Exceptio.

VII. Fidem frangens Princeps, gravius peccat, quam privatus.

VIII. Prin-

VIII. Principi Imperii mendacia proferre probroſum.
IX. Mendacium varia adfert pericula.
X. Pœna Mendacii.
XI. Principis aſſertio plenam meretur fidem. Atteſtatio Principis de alicujus fama eſt valida.
XII. An Principis Imperii aſſertioni in inveſtituris de benemeritis ſui Conſiliarii, abſque alia meritorũ probatione plenè credatur? varie diſceptatur.
XIII. Affirmative tandem concluditur, adjectis exemplis ordinariorum Judicum.
XIV. Reſponſio ad contraria.
XV. Tres ampliationes prædictæ quæſtionis.
XVI. An Princeps Conſiliario ſuo beneficium aliquod in remunerationem meritorũ concedens, illud ſucceſſu temporis revocare poſſit? Neg.
XVII. Illuſtratur exemplo Aquilis Reguli.
XVIII. Declaratio quæſtionis.

I. SAnè ex hiſce jam uſque huc deductis *infertur*, quod in Principum ac Statuum Imperii tractatibus & actionibus Bona Fides exuberare cenſeatur, ac in illis omnis ſiniſtra ſuſpicio doli, fraudis & ſimulationis ceſſare præſumatur *arg. text. egregii in l. un. §. 1. in verbis.* qui ob ſingularem induſtriam explorata eorum fide & gravitate ad ejus officii magnitudinem adhibentur non aliter judicaturos eſſe, pro ſapientia & luce dignitatis ſuæ. *D. d. offic. Præf. Prætor. uti in terminis ſcribit* Ludolph. Schrader. *d. Feud. part. 2. part. 9. principal. ſect. 12. num. 19.* Adrian. Gylman. *deciſ. Camer. 10. n. 19. lib. 2.* latè Caſpar. Klock. *d. Contrib. c. 16 ſect 1. n. 165.* Unde antiquum veriverbium ortum eſt. Germana fide. Auff gut teutſch. Chriſtian. Warſevic. *tr. de Legatis.*

——— Gente Germanum Virum
Vacare fuco & falſimonia decet.

Digitized by Google

Nam nullos mortalium Armis aut Fide ante Germanos eſſe, Romæ in Pompei theatro Friſiorum Legati *Verritus* & *Maloriges* glorioſè olim exclamarunt. Tacit. *Annal. lib. 13. cap. 54.* Proinde cum Mizko Bohemiæ Dux exul, externæ opis egens in Bohemiam ad Ulricum Regulum Bohemiæ confugiſſet, quem cum Ulricus *Cunrado* II. Auguſto prodere, ab eoque gratiam impetrare vellet, Imperator generoſo animo reſcripſit: Solere Germanos virtute cum hoſtibus, non fraude certare, Aventin. *Annal. Bojor. lib. 5. fol. m. 406.* Vide latè Anton. Bullæ. *diſcurſ. Academ. 1. fol. m. 86. & 89.* Dn. Lanſ. *in Conſultat. pro German. fol. m. 102.*

II. Ex hiſce *infertur* ulterius; Quod omnes Contractus à Principe & cum Principe Imperii & cum Privato initi, ſint Contractus bonæ fidei. Udalr. Zaſius *conſil. 14. num. 43. lib. 1.* Johan. Borcholt. *conſil. 7. à princip. lib. 1.* Hartman. Piſtor. *lib. 4. quæſt. 7. in conſil. annexo. ſub. num. 8.* Beſold. *conſil. 150. n. 27. vol. 4.* Cum in Contractibus ipſorum verbis ludi aut falli graviſſimum ſit, & penitus abjectum. Daniel Haider. *in act. Lindav. lit. Mm. fol. 572.* Menoch. *lib. 6. præſumpt. 59. num. 2.* Principum Imperii nuda pacta & ſimplices conventiones producunt Actionem & Exceptionem; Petr. Weſembec. *conſil. 2. n. 60.* Martin. Mager. *d. advocat. cap. 9. n. 105.* Ac quod Contractus Principum & Statuum Imperii vim legis obtineant, *arg. l. penult. ubi Br. & Bd. C. d. donat.* Imò longè fortiores & firmiores ſint, legibus ab ipſis Principibus latis, jam olim tradidit Borcholt. *dict. conſil 7. à princip.* Quod de quovis alio Principe tradit *Baldus* dum ſcribit: Quod omnis Contractus celebratus cum Principe ſit bonæ Fidei. Bald. *de Pace conſtant. §. ſi quis*

verò Col. 20. Jaſon. *in l. Civitas. D. de reb. credit.* Laur. Sylvan. *de feudi recognit. quaſt. 5. n. 14.*

III. Hinc Princeps Imperii ex Contractu, cum quovis inito, etiam cum *Subditis* obligatur, ac eundem fortiſſimo jure ſervare tenetur, non aliter ac quilibet Privatus. *arg. cap. 1. ubi Dd. X. d. probat.* Zaſius *in l. 2. §. eodem tempore. 10. D. d. orig. jur. ac conſil. 10. n. 5.* Borcholt. *dicto conſil. 7. in princip.* Vult. *conſil. Marpurg. 25. num. 88. ac conſ. 24. n. 42. vol 2.* Nec Principi à Contractu cum ſubdito celebrato, ne quidem de plenitudine poteſtatis reſilire licebit. Mynſing. *Reſponſ. 24. num. 19.* Gail. *lib. 2. Obſerv. 55. n. 5. & 6.* Klock. *dict. cap. 16. ſect. 1. n. 172.* Conſil. Argentorat. *47. num. 22. vol. 2.* Carol. Scriban. *in Polit. Chriſtian lib. 2. cap. 15. Qui fol. 595. ſcribit: Quod ſuperioris in ſubditum verba purpurata mendacia eſſe non debeant.*

IV. *Criminalia* quod attinet, ob eandem integritatis & virtutis præſumptionem, delictum à Principe aliave Imperii Perſona Illuſtri commiſſum non cenſetur. *arg. l. quod ſi nolit. 31. §. qui mancipia D. d. adilit. edict. Gloſ. in can. illud. 9. diſt. 40.* Siquidem ij qui illuſtri loco nati ſunt, pro ſe habent majorem præſumptionem virtutis integritatisque, & in illis multo magis ceſſat omnis omnino ſiniſtra ſuſpicio ſimulationis, doli & fraudis. *arg. l. 1. D. de offic. Præfect. Prætor. arg. l. 1. in pr. C. d. debit. Civit. lib. 10.* Hyppolit. *de Marſil. conſil. 458.* Natta *Conſil. 487. num. 49.* Honded. *conſult. 105. num. 59.* Alciat. *de præſumpt. Regul. 1. præſumpt. 48. num. 1.* Herm. Vult. *conſil. 18. num. 170. vol. 4.* Menoch. *lib. 5. præſumpt. 4. num. 6. & 7.* Id quod hac ratione confirmatur, quoniam filii præſumuntur veſtigiis parentum & majorum inſiſtere, at-

que ejusdem naturæ, probitatis, ingenii & virtutis eſſe, quà parentes fuerunt. *arg. l. quod ſi nolit. 31. §. qui mancipia. D. de ædil. edict. l. quisquis. 5. C. ad l. jul. Majeſt. cap 51. quis cum militarib. cauſ. 6. quæſt. 1.* Siquidem Majorum nobilitas atque virtus, poſteros ſuo exemplo ad virtutem excitat. *arg. l. 1. C. de emendat. propinquor.* Alciat. *dict. præſumpt. 48. num. 1.* Petr. Paul. Pariſ. *conſil. 23. num. 265. lib. 1.* Ideoque Plato *lib. 1.* Alcibiadis, *qui eſt de natura hominis*, ſcribit; Conſentaneum eſſe, meliores oriri naturas ex nobili quam ignobili: Et *Ariſtoteles* ſcriptum reliquit: Nobilitatem ob id in honore haberi, quia conſentaneum eſt, ex melioribus ortos meliores eſſe. Ariſtoteles *lib. 6. Polit. Et idem lib. 2. Rhetoric. ad Theodecten cap. 16.* ſcribit: Nobilitas & educatio ad faciendam fidem adhibentur: Veriſimile enim eſt, probum ex probis, & bene educatum, in probum Virum evaſiſſe. Abb. Panormitan. *in cap. venerabilis X. de præbend.* Cœpolla *conſil. 40.* Thom. Grammat. *conſil. 35. conſil. 37. & conſil. 47.* Tiraquell. *de pœnis temper. cauſ. 51. n. 3.* latè Ludolph. Schrader. *de feudis part. 2. part. 9. principal. ſect. 12. n. 20. & ſeqq.*

V. Unde in Perſona Illuſtri non præſumitur Proditionis aut Seditionis crimen. Bald. *conſil. 262. n. 2. lib. 2.* Meichſn. *deciſ. Camer. 9. num. 70. tom. 3.* Nec quoque crimen Falſi, Bald. *ad l. 2. C. d. crim. falſ.* Boer. *d. ſeditioſis §. 4. num. 1.* Grammat. *deciſ. 60. num. 13. & ſeqq.* Schrader. *dict. num. 20.* Siquidem illuſtri ac nobili loco & genere natus præſumitur datæ fidei obſervantiſſimus. Angel. *in l. à bona fidei. D. de rei vindicat.* Menoch. *lib. 6. præſumpt. 59. num. 2.* Ac in Principe nihil clariore lumine præfulget, quam recta fides. Sicuti habetur in epiſtola *ſeu leg. inter claras. C. de ſumm. Trinit.* Hartman. Piſtor. *lib. 4.*

quæſt.

quæſt. ſub num. 8. Nec quoque uſurariæ pravitatis vitium, aut quod Contractus fuerit fictus, ſimulatus ac uſurarius argui poteſt; uti docet Bart. *in l. fin. §. pen. D. de re militar.* Jaſon. *conſil. 153. verſ. 8. vol. 4.* Andr. Alciat. *reſponſ. 45.* Maſcard. *d. probat. concluſ. 447. num. 19.* Vult. *dict. conſil. 18. num. 171.* Weſemb. *conſil. 250. n. 33. part. 5.* Ac ſi quid factum eſt à perſona Illuſtri aut Nobili, illud potius erroneè quam doloſè factum & peractum eſſe præſumitur, ſicuti ſcribit Roland. à Valle *conſil. 11. n. 35. & 75. vol. 3.* Nolden. *de Nobilit. c. 12. n. 5.*

VI. Quod tamen de omnibus & ſingulis Nobilibus noſtri ſeculi vix affirmare auderem, ſed viva Exempla hanc præſumptionem levem & ſatis dubiam reddunt. Vid. Dn. Thom. Lanſ. *in Conſultat. contra German.* Pariter quoque in Perſonis Illuſtribus ac Nobilibus omnis fraus, dolus & quæcunque ſiniſtra ſuſpicio in eorum actibus & contractibus abeſſe cenſetur. Tiraquell. *d. nobilit. cap. 20. num. 20.* Roland à Valle *Conſil. 11. num. 35. & 75. vol. 3.* Schrad. *dict. ſect. 12. num. 10.* Hinc cum aliquando in Imperio Romano-Germanico Marchio N. per ſuos officiales quoſdam ſubditos Comitis in O. cepiſſet, propter Perſonæ excellentiam dolus manifeſtus, aut fractio pacis publicæ, à Dominis Cameralibus, in hoc facto præſumptus haud fuit, ſed judicatum, daß der beklagte Herr Marggraff in die Pœn berührten Mandats noch zur Zeit nicht zuerklären; Quod præjudicium refert Guilielm. Scipio *deciſ. Camer. 98. per tot. libr. 3.*

VII. Præterea *infertur* ex ſupra dictis; Quod Princeps & Status Imperii Fidem frangendo longè gravius peccare

peccare cenſeatur, quam privatus; Idq; propter dignitatis ſuæ lucem, & officii magnitudinem, adeò ut pleniſſimè perfidioſum ſit, & nefarium Principi, Fidem frangere, vel violare. *arg. d. l. un. §. 1. D. d. Offic. Præfect. Prætor.* poſt alios Beſold. *conſil. 44. num. 19. vol. 2.* Vincent. Turturet. *de nobilit. gentil. lib. 3. c. 9.* Hinc optimè ſcribit Baldus: Fidem fallere grave eſt gravibus: Gravioribus gravius: Graviſſimis & exemplaribus viris eſt graviſſimũ. Bald. *conſil. 343. vol. 1.* Cravetta *conſil. 241. n. 19.* Schrader. *de feud. part. 10. ſect. 1. num. 50.* Franc. Niger. Cyriac. *controverſ. forenſ. 129. n. 17. & 18.* Quo enim quiſpiam majoris eſt dignitatis, eò magis bona Fides in ipſo exuberare, & ab omni perfidia vacare debet, cum dignitas perfidiam exaggeret. *arg. l. 2. l. quædam delicta 14. D. d. pœn. l. omne delictum 6. §. 1. verſ. augetur. D. d. re militar.* Barſchamp. *in Radic. clauſul. c. 31. § 1. num. 47.* Quoniam ex promiſſionibus ſuis longè fortius & efficacius quam privati obligantur, argumento traditorum ab Imperatore Leone *in Novell. Conſtitut. 19.* Ludolph. Schrader. *conſil. 1. num. 458.* poſt alios Klock. *d. Contribut. c. 16. ſect. 1. num. 159.* Siquidem verbum ſimplex Principis aut Comitis, æquipollet Juramento Privati. Matth. Coler. *d. Proceſſ. Execut. part. 1. cap. 10. num. 250. cum ſeqq.* Ideoque verba Principis, quantum ad certitudinem, nihil differunt à juramento. Beſold. *de fæder. cap. 6. n. 5.* Schrader. *dict. conſil. 1. num. 458.* Joan. Bapt. Larrea. *allegat. fiſcal. 119. num. 12.*

VIII. *Ulterius infertur* ex prædictis, quod turpiſſimũ ſit & fœdiſſimum Principi ac Comiti illuſtri, aliivè Viro Nobili Germanico, mendacia proferre, ac mentiri, vel alio modo, köſtlichen Windt verkauffen/ und mit

dem

dem groſſen Meſſer auffſchneiden. Si enim homines plebeæ ſortis, nedum Viri ingenui, mendacii turpitudinem deteſtantur; quanto magis Principes & illuſtres Germaniæ Viri hoc vitium cane & angui pejus abjurare debent. Joſias Nolden. *de Nobilit. c. 12. n. 119.* Nam ignavæ mentis eſt mentiri; Cum mori ſciat, mentiri neſciat generoſus animus. Romani ſanè omne mendacium libero & ingenuo indignum putabant, ſervileque vitium eſſe, nec cadere in generoſum pectus poſſe, nec debere: Quid! Quod pulchrum illi per vulnera & ſanguinem ad ardua tendere, mendacio vero commaculari, omni morte deterius. Ut non aberraverit qui dixerit, vilis & muliebris animi eſſe mentiri. Carol. Scriban. *in Polit. Chriſtian. lib. 1. cap. 6. & 13. per tot.* Vincent. Turturet. *de Nobilit. Gentilit. lib. 3. cap. 9. fol. m. 171.* Ac ipſum Dei verbum mendacii crimen vocat fœdiſſimum. Actor. *5. verſ. 3.* Gravius furto. Eccleſ. *20. verſ. 26.* Certiſſima animi peſtis, efficaciſſimum animæ venenum. Unde Epænetus dicere ſolebat: Mendaces omnium ſcelerum & injuriarum authores eſſe. Aurel. Corbul. *de jur. emphiteut. cap. 1. num. 1. & 2.* Beſold. *in Theſaur. Pract. lit. L verbo* Lugen/ *74.* Hinc *Alphonſus* Hiſpaniæ Rex Anno 1308. Ordini Equeſtri de la Banda ſeu faſciæ rubræ, inter alios, etiam hunc articulũ ſanctè obſervandum laudabiliter præſcripſit: Der Ritter rede wenig / aber die Warheit: Da er ein greiffliche Lugen ſagt / ſolle er zur ſtraff ein Monat lang kein Seittenwehr an ſich tragen. Referente Dn. Limnæ. *lib. 6. jur. publ. cap. 2. ſub. num. 4.* Et hoc per modum *Declarationis* procedit, etiamſi Mendacium leviuſculum eſſe appareat. Mendacium enim, licet tenue ſit, nihilominus tamen perlucet, ſi diligenter inſpexeris ait Seneca *in Epiſtol. 79.*

IX. Et eò magis Princeps aliusvè illuſtris Imperii Vir, à mendacio abſtinere debet, propter vitæ periculum, quod proferenti mendacia tàm activè quàm paſſivè imminet. Nam ſi quis fretus Reſcripti Imperatoris Gordiani *in leg. viam veritatis ignoras 10. C. locat. ad aliquem dicat*: Der Herr ſpaciert neben der Warheit; oder hawet ſich in Backen. *arg. l. 5. C. de injur.* Aut tu mentiris *arg. l. quæ omnia 25. D. de procurat.* Certè pro qualitate Perſonarum, mendacii redargutus, ſæpè verbis & verberibus injuriam retorquere poteſt. Juxta proverbium Germanicum. Auff ein Lugen gehöret ein Maultaſch. Mendacium enim alapa vindicatur & retorquetur. *per text. in l. item apud 15. §.* Unde quærit. *39. ibi.* Nam ſi honorem ornamentaque petulanter adtentantem cæciderit, abſolvendum eum eſſe, Ulpian. Labeoni reſpondit. *D. de injur. §. 3. Inſtit. de injur.* Andr. Gail. *lib. 2. Obſerv. 100. num. 3.* Dreter. ad Beſold. *Theſaur. Practic. verb.* Lugen. *74.* Diſſentit Marq. Freher. *de exiſtimat. libr. 2. c. 8. num. 17.* Compertum enim eſt, viros illuſtres & ingenuos, multarum contumeliarum injuriis minus ſuccenſere: Verum ſi iisdem mentiri verbum objiciatur, contumeliam hanc & cæde & ferro ulciſcendam eſſe cenſere. Quot enim cædes Orbe toto unum mentiris dedit? quod nomen ferro vindicatur. Carol. Scriban. *in Politic. Chriſtian. libr. 1. cap. 6. fol. m. 111.* Vincent. Turturet. *dict. tr. de Nobilit. Gentil. lib. 3. cap. 9. fol. m. 171.*

Prætereà mendacii vitium Principi illuſtri jure parabilem exiſtimationis & reputationis jacturam adfert: Nam quid majus eſt, quam alicujus dicto fidem habere: Mendax autem fidem omnino perdit, quia veritati non ſervit, dum mentiendo ſe oneret. *per l. 1. C. de furt, l. qui falſo. D. de teſtib.* Menoch. *conſil. 37. num. 173.*

Ac

Ac mendax in uno, præſumitur quoque mendax in cæteris, adeò quidem, ut etiamſi aliquando veritatem dicat, tamen ei fides non adhibeatur. *per cap. qui ſemel malus.* Ubi Petr. Peck. & Canoniſtæ *X. de Reg. Iur.* Aimon Cravetta *conſil. 282.* Menoch. *conſil. 94. n. 62.* Præſertim cum mendacium ſine dolo non detur. *per l. ſi quis affirmaverit. & l. quod ſi creditor. D. de dolo malo. l. falſus §. ſi quis. D. de furtis.* Joan. Petr. Surd. *conſil. 373. n. 29.* Auguſt. Barboſa. *in Axiomat. lit. M verb. Mendacium. 5.*

X. Ex quibus jam deductis conſequitur; 1. Quod convictus de mendacio ſuper una poſitione negata, præſumatur convictus ſuper aliis negatis. *per l. final. D. de rei vindicat. Auth. contra qui. C. de non numer. pecun.* Stephan. Gratian. *deciſ. 227.* Ac *diſceptat forenſ. cap. 109. num. 4.* Franc. Anſald. *conſil. 55. num. 50.* Licet regulariter ſocius habeat beneficium, ne condemnetur, niſi in quantum facere poſſit: nihilominus quia negavit ſe eſſe ſocium, perdit hoc beneficium. *per l. ſed hoc ita. §. ubi D. de re judic.* Joan. Aloys. Ricc. *collect. deciſ. 209.* Fidejuſſor licet non prius conveniri poſſit, niſi Principali creditore ad peram usque excuſſo; attamen ſi negat ſe fidejuſſiſſe, hoc beneficium perdit: Idem quoque in beneficio diviſionis jura ſtatuunt. *per text. in l. ſi dubitet. 10. §. ita. 1. ibi:* inficiantibus auxilium diviſionis non eſt indulgendum *D. de fidejuſſ.* Anton. Theſſaur. *deciſ. 50.*

Debitor negans debitum abſque juſta cauſa beneficio ceſſionis privatur, ac in ſolidum condemnatur. *per text. in l. de ætate. 11. §. ſi cum. 3.* ibi: non debuit enim mentiri *D. d. interrogat. injur. fac. Afflictis deciſ. 3-9.* Cevallos *in comm. opin. contra commun. quæſt 129.* Titius negans ſcripturam propria manu ſcriptam cauſa cadit. Hie-

ron. Marlian. *deciſ. 35.* Mendax item poſtulator non juvatur Reſcripto. Nov. *121. cap. 1.* Mendacem, ſtatuti jurisque communis beneficio privandum eſſe, JC. Ulpianus reſpondet *in l. ſed ſi. 4. verſ. interdum. D. quod cum eo qui in alien.* Stephan. Gratian. *diſcept. forenſ. cap. 667. num. 8.* Franc. Anſald. *conſil. 63. num. 74.* Mendax æque precator, caret impetratis. *ſecund. Reſcriptum Imper. Theodoſii & Valentiniani. in l. etſi legib. 5. C. ſi contra jus vel util.* Et ſi nimia mentientis inveniatur improbitas, etiam ſeveritati judicantis ſubjacet. *per dict. leg. 5. l. 29. ibi: impudentis. D. de falſis. cap. ſi quando X. de reſcript.* Andr. Gail. *libr. 1. Obſerv. 14. num. 3.* Vid. Joan. Aloys Ricc. *collect. deciſ. 209.* Capyc. *deciſ. 19.* Adeò ut contra mendaces omnia jura inſurgant. Benev. Straccha *de decoctor. part. 3. n. 37.* Ac quamplures pœnas in caſibus diverſis contra mendaces, leges conſtituerunt. Stephan. Gratian. *diſcept. forenſ. cap. 109. per tot.*

XI. Ex hac legalitate *inſuper fluit*, quod Principis aut Comitis Imperii *aſſertioni* creditur, ejusque ſcripturæ plena fides adhibetur. *arg. Clem. 1.* ubi Bonifac. *de Vitalinis* & Auguſt. Barboſa. *de probat.* Nicol. de Agazil. *conſil. feud. 5. n. 2. inter conſil.* Albert. Bruni. Joan. Bapt. Coſta *de jur. & fact. ignor. diſtinct. 25. cent. 2. num. 3.* Nicol. de Paſſerib. *de ſcriptur. privat. libr. 3. Rubr. De Literis Epiſcop. queſt. 3. fol. m. 589.* Quis enim tantæ ſuperbiæ faſtigio tumidus foret, ut regalem ſenſum neget. *juxta l. fin. C. de legib. l. 2. C. de crim. ſacrileg.* Præterquam quod grave eſſet & valde injurioſum, Principem de mendacio arguere. Menoch. *conſil. 100. num. 23. lib. 1.* Et hoc de conſuetudine totius mundi ſervari, teſtatur poſt alios Joan. Petr. Fontanella *de pact. nuptial. clauſ. 4. cap. 10. n.*

28. part. 2. Ideò hoc tanquam ſingulare ob generis ſplendorem inter privilegia Principũ ſpecialia recenſet. Don. Garſ. Maſtrill. *de Magiſtrat. lib. 3. cap. 4. num. 51. & ſeqq.* Ita in terminis Principum Imperii aut qui jura imperialia habet, tradit Farinac. *de teſtib. quæſt. 63. num. 87. & ſeqq.* Maſcard. *de probat. concluſ. 141.* Aimon. Cravetta *de antiquit. tempor. part. 1. num. 41.* Joan. Gædden, *de Electore loquens, conſil. 50. num. 49. vol. 4.* Herm. Vult. *conſil. 25. num. 104. vol. 4.* Nicol. Reuſner. *de Epiſcopo ſcribens conſil. 22. num. 53. vol. 3.* Merckelbach. apud Klock. *conſil. 16. num. 125. vol. 2.* Hinc Principi atteſtanti *de fama* cujusdam, ſive bonâ ſive malâ, per verba aſſertiva plene creditur. *arg. Clem. un. de probat.* Jacob de S. Georg. *in l. 3. §. ejus. 2. num. 21. D. d. teſtib.* Jaſon. *in l. admonendi 31. num. 246. in fin. D. d. jurejur.* Joan. Crotus *de teſtib. part. 4. Rubr. qui teſtes eſſe poſſ. num. 46. & 47.* Marq. Freher. *d. fama. lib. 1. cap. 5. num. 5.* Vide tamen Volcmar. Heſs. *d. teſtib. cent. 1. concluſ. 21. per tot.* Pari ratione Principi Imperii, ſive literis, ſive aliter atteſtanti de *Benemeritis* ejus, cujus gratia donationem remunerationis cauſa factam eſſe prætenditur, plene creditur. *arg. clem. 1. X. d. probat. Br. in l. ſi forte. 8. num. 9. D. d. caſtrenſ. pecul. poſt. Bl. & Decium.* Petr. Weſenbec. *conſil. 2. num. 113. & ſeqq.* Nicol. Reuſner. *conſil. 22. num. 53. lib. 3.*

XII. Veruntamen hæc aſſertio tàm clara non eſt, quin à nonnullis in dubium vocetur: Hinc quæritur; *An Princeps Imperii aſſertioni in literis vel inveſtituris de benemeritis & ſervitiis Conſiliarii, absque aliqua alia meritorum probatione & ſine aliis adminiculis plenè credatur?* Verbi Gratia; Wann ein Fürſt deß Reichs im Concesſions Brieff ſetzt: Umb ſeiner nun etlich vil Jahr hero geleiſten/ treuen/

unterthänigſten Dienſten willen. Sunt qui hoc *Negant*; Hac moti ratione, quoniam ſola Principis aſſertione de Benemeritis Conſiliarii, & exinde ſubſecuta remuneratione non creditur, niſi aliqua alia adminicula accedant: *per text. in l. ſi donatione. ubi DD. C. de collat. l. ſi forte.* ubi Bart. *D. de Caſtrenſ. pecul. text. in l. 9. §. 1. ibi; præclaræ curiæ honore. D. d. teſtib. cap. cum à nobis. ibi cujusque dignitatis X. de teſtib.* Curt. Jun. *conſil. 132. num. 10.* Jul. Clar. *in §. Donatio. quæſt. 7. num. 2.* *Secundo* facit, quod aſſertioni alicujus perſonæ minimè ſtandum eſt, quæ actum aliter niſi ſola aſſertione abſolvere & peragere poterat. per text. *in l. qui teſtamentum. 27. D. de probat.* Philip. Cornæ. *conſil. 243. num. 3. & conſil. 109. num. 4. vol. 4.* Tiraquell. *ad l. ſi unquam. 8. verb. In donatione largitus. num. 100. & 102.* Modeſt. Piſtor. *conſil. 63. n. 10. libr. 1.* Maſcard. *de probat. concluſ. 184. num. 10.* Nicol. de Paſſerib. *tr. de ſcriptur. privata lib. 3. Rubr. de literis Apoſtol. quæſt. 3. num. 18.*

VIII. Verumenim verò *Contraria ſententia*, quod nimirum Principis Imper. aſſertio, de benemeritis, ſui Conſiliarii ulteriorem probationem non requirat, quo minus ille pro remuneratione conceſſum feudum tutò poſſidere poſſit, verior eſt. *Nam 1.* etſi privatæ perſonæ aſſertioni unicæ minimè credendum ſit: attamen ſi de perſona agatur, quæ in publico jurisdictionem habet, veluti de Principe vel Epiſcopo, tunc ipſius aſſertioni meritò fides adhibetur; Et hoc in tali caſu & relatione, ſine quâ actus ipſe abſolvi non poſſet. *per Clem. 1. de probat. & per caput 1. X. de probat.* Nam ſi de ordinario Judice agamus, qui cauſas meri & mixti Imperii, niſi ex cauſa neceſſariæ abſentiæ aut alterius juſti

impe-

impedimenti, delegare non poteſt, ſi ipſe in literis delegationis ſe juſtè & legitimè impeditum eſſe aſſerat, ipſius aſſertioni tanquam jurisdictionem habenti creditur *per gloſ. ordinar. in cap. paſtoralis. in pr. verb. exonerari. X. de offic. delegat.* Alexandr. *in l. 1. D. de offic. ejus cui mand.* Alphonſ. Modit. in terminis Judicis delegati, *in §. Principū Placita, Dubitat. n. 164. & 165. per tot.* Petr. Anton. de Petra. *de poteſt. Princip. cap. 32. concluſ. 2. num 33. fol. m. 617.* Quemadmodum & ipſi Judici proſequendi judicii appellationem exiſtere, nec fatalia eſſe præterlapſa, & conſequenter appellationem competere credendum eſt. Joan. Andr. *ad Speculat. §. ſpecies. tit. de ſentent.* Bonifac. Ruger. *conſil. 60. n. 5. vol. 1.* Quod optimè per exempla deducit Fulv. Pacian. *de probat. lib. 1. cap. 48. num. 66. & ſeqq.* Cujus deciſionis ea eſt *Ratio*; Quoniam Lex multum confidit perſonæ jurisdictionem habenti, vel Nobiliſſimæ perſonæ aut Secretario Principis & quidem plus quàm Perſonæ privatæ. *per text. in l. ſi quis decurio. 21. verſ. nec verò. ibi per ipſum debet probari auctorem. C. ad l. Cornel. de falſ.* Bald. *in Rubr. D. de offic. delegat.* Grammat. *conſil. crim. 13. num. 13.* Maſcard. *de probat. concluſ. 1243. per tot.* Alvar. Valaſc. *deciſ. Luſitan. 73. n. 1.* latè Marquard. Freher. *tr. de exiſtimat. lib. 2. cap. 4. num. 4. & ſeqq.* Quod ſi hoc in Judicibus ordinariis procedit, ut eorum aſſertioni credendum ſit, quantocunque actum non aliter niſi per hanc aſſertionem abſolvere poſſint: Multo magis in Principe Imperii jurisdictionem & ſuperioritatem territorialem ceu Regium jus habente obtinet. Herman. Vult. *conſil. 50. num. 49. vol. 4.* Cacheran. *deciſ. 88. num. 24.* Siquidem nemo melius aut certius benemerita & ſervitia præſtita Conſiliarii ſui ſcire poteſt, utpote de proprio facto atteſtans & ſcribens quàm ipſe

Prin-

Princeps & territorii Dominus. Idque tanto magis dicendum eſt, in noſtro caſu, habita ratione Principis concedentis perſonæ, de cujus levi præjudicio agitur, ideoque tanto facilius concedendum. Abbas *in cap. fin. X. de probat. Purpurat. in l. 1. num. 549. D. de offic. ejus cui mand.* Cum Principum proprium ſit vel eſſe debeat donare, & Conſiliarios muneribus afficere *per text. mirabil. in l. filius 7. verſ. nonnunquam. D. de donat.* adeò quidem, ut quamvis Princeps ſponte donet, attamen ad donationem ſe obligatum eſſe exiſtimare debeat; *cap. 1. X. de donat. ubi* Auguſt. Barboſa. *ac per l. 1. C. ſi liber. imperial. ſoc. in her. deceſſ. lib. 10. l. prohibere. 3. §. plane. D. quod vi aut clam.* Joan. Anton. Bellon. *conſil. 58. numer. 66.* Nam in Principe, qui multa à Deo T. O. M. habere noſcitur, liberalitas facillimè eſſe debet, ſicuti reſcripſit Imper. Juſtinianus *in Novell. 7. cap. 2.* Fab. de Annat. *conſil. 62. n. 56. & ſeqq.* Bonifac. Roger. *conſil. 49. n. 2. 4. & 25. vol. 1.* Hippolit. Riminal. *ad princip. tit. de donation. num. 116. & ſeqq.* Nihil enim Miniſtros Principum fideliores reddit, quam benefica gratitudo. Quamobrem ſi Principes voluerint, Miniſtros vivere ſibi devictos, & pro tuitione corporis ſui jacturam vitæ non gravatim facere, ſint erga illos benefici, nec velut vilia mancipia judicent. Quemadmodum de Principibus Germaniæ, qui ſeſe Conſiliariis & miniſtris beneficos exhibuerunt varia exempla recenſet Matthias Caſtrit. *tr. de Princip. Germ. virtut. lib. 3. cap. 1. & 4. per tot.* Quod utique retulit jam dudum Cicero *lib. 1. officior. Agros* (inquit) *fertiles imitari debemus, qui multo plus afferunt, quam acceperunt.*

Quo facit II. Quod hic de Principe ceu de perſona in dignitate illuſtri conſtituta agimus, cujus aſſertioni eo magis ſtandum eſt, cum in tali aſſertione Princeps tan-

quam

quam omnium optimè informatus, principaliter ſe fundat, *per text. magiſtral. in Clem. 1.* ibi plenariam adhibendam fidem. *de probat.* Ergo hujusmodi literæ non egent alterius probationis adminiculo. *arg. l. plenum. in pr. D. de uſu & habitat.* Anton. Gabriel. *lib. 1. Comm. concluſ. 2. tit. de probat. num. 20. & paſſim.* Fulv. Pacian. *de probat. lib. 1. cap. 48. num. 74. & ſeqq.* Cum in Principe rectitudo judicii clariori lumine præfulgeat, ſicuti habetur in Epiſtola, *inter claras. C. de ſumma Trinitat.* Princeps enim ſemper juſta cauſa motus aliquid aſſerere præſumitur. *per Gloſ. in l. relegati. D. de pœnis* Ruin *conſil. 76. num. 12. vol. 5.* Qui plenus juſtitiæ & æquitatis eſſe cenſetur ſecundum Baldum *conſil. 395. vol. 2.* Menoch. *lib. 6. præſumpt. 59.* Hartman. Piſtor. *lib. 4. quæſt. 7. in conſil. annexo num. 8.* Præſertim cùm hoc in caſu non de Principis proprio commodo, nec de tertii præjudicio, ſed magis de proprio facto & fidelitate proprii Conſiliarii agatur. *per Clem. 1. ubi gloſ. de probat.* Jaſon. *conſil. 227. num. vol. 2.* Grammat. *deciſ. 65. num. 44.* Ruin. *conſil. 175. vol. 5.*

XIV. Nec officiunt ea quæ *in contrarium* adducta ſunt; Quoniam allegata jura de illa Principis aſſertione loquuntur, quæ in tertii præjudicium tendunt, quo caſu ejusdem aſſertioni non ſtatur; Per hanc rationem, quoniam ſicuti Princeps directò alteri præjudicare non poteſt: juxta notata *in cap. quæ Eccleſiarum de conſtitut. Et in l. fin. C. ſi contra jus & utilit. publ.* Ita nec per indirectum, ſcilicet ſua unica aſſertione, *per cap. cum quid una via.* Ubi Petr. Peck. *de Regul. jur. l. Seius & Angerius D. ad L. falcid. Aretin. in l. 1. notab. 3. in fin. D. de acquir. poſſeſſ.* Ita in terminis noſtris ſcribit *Bonifac.* Rogerius Eques

D *con-*

Digitized by Google

conſil. 15. num. 41. & ſeqq. vol. 1. Bonifac. de Vitalin. *ad Clem. 1. num. 8. & 9. de probat.* Nicol. Reuſner. *conſil. 22. num. 59. & ſeqq. libr. 3.* Rauchbar. *libr. 2. quæſt. 11. num 18.* Dn. m. Henr. Bocer. *de donat. cap. 13. num. 12.* Ubi tradit; Principi de meritis affirmanti, plenam fidem adhibendam eſſe, etſi Donatarius merita docere & oſtendere nequeat. Herm. Vult. *4. conſil. 25. num. 105.* Ubi ſcribit: generali Benemeritorum aſſertioni ſtari, ſaltim in præjudicium aſſerentis, qui ſe obligavit & ejusdem heredem.

XV. *Ampliatur* hæc reſoluta quæſtio *I.* ut opus non ſit quod merita & officia Principi aut Comitià ſuo Conſiliario præſtita, in conceſſionis aut donationis Inſtrumento *ſpecificè* exprimantur, quo intelligamus & ſcire poſſimus, an benemerita remunerationi correſpondeant. Sed generalis aſſertio meritorum ſufficit, accedente præſertim temporis diuturnitate, qua Conſiliarius per multos annos officio functus eſt. Tiberius Decian. *reſponſ. 25. num. 37. & ſeqq. vol. 1.* Maſcard. *de probat. concluſ. 184.* Petr. Anton. de Petra. *tr. de poteſtat. Princip. cap. 32. concluſ. 2. num. 33. f. m. 617.* Optimè Nicol. Reuſner. *dict. conſil. 22. num. 48. & 51. lib. 3.* Johan. Geddæ. *conſil. Marpurg. 25. num. 105. vol. 4.* Andr. Rauchbar. *lib. 2. quæſt. 11. n. 19.* Siquidem defectum meritorum ſupplet Principis liberalitas. Et aliàs verba iſta eſſent ſine miniſterio, ſicuti loquitur Alexander *conſil. 216. n. 24. vol. 2.* Decian. *dict. reſponſ. 25. num. 79.* Natta *conſil. 674. num. 9. tom. 4.* Latè tamen diſſentit Menoch. *conſil. 112. num. 12. & ſeqq.* Carol. Tapia *ad l. fin. part. 2. cap. 9. n. 10.*
Quamvis melius ſit & tutius, ut benemerita in Dominum collata ſpecificè exprimantur: Quo caſu ſpeci-

cialis expreſſio ſervitiorum longè firmior longeque efficacior erit quam generalis. *per text. in l. Aquilius Regulus. 27. in verbis. Quoniam cum patre meo ſemper fui, ſti & me eloquentia & diligentia tua meliorem reddidiſti- dono D. de donatione.* Ludolphus Schraderus *is de feud part. 5. c. 2. num. 41.* Diſſentiunt, ac merita ſpecificè probanda eſſe aſſerunt Horat. Carpan. *ad Statuta Mediolan. cap. 264. num. 12.* Tiraquel. *ad l. ſi unquam. num. 88. C. de revoc. donat.* Ita in terminis Epiſcopi concedentis feudum ſcribit Auth. Conſil. Argentor. *44. num. 14. vol. 1. ac conſil. 2. num. 56. vol. 2.*

Quod *Ampliando II.* tanto magis procedit, ſi verſaremur in benemeritis, antiquitate temporis, oblivione adumbratis, quo caſu, verbis Principis & jam enuntiativis credendum eſt, ſecundum ea quæ habet Natta *conſil. 522. num. 31. vol. 3.* Anton Gabriel. *Comment. concluſ. lib. 1. tit. de probat. concluſ. 2. num. 54.* Menoch. *conſil. 402. num. 25. vol. 5.* poſt alios in terminis noſtris. Herm. Vult. *conſil. 402. num. 25. vol. 5. Conſil. Marpurg. 19. num. 118. vol. 3. ac conſil. 46. num. 114. vol. 4.* Ac notabiliter tradit *Fontanella*, quod dicta & aſſertiones Principum, præſertim de benemeritis alicujus Viri aut Conſiliarii de generali mundi conſuetudine plenæ probationis loco cenſeantur. Joan. Petr. Fontanella *d. pact. dotal. tom. 1. clauſ. 4. gloſ. 10. part 2. num. 28.*

Quod per modum *III. Ampliationis* etiam in terminis verborum enunciativorum, quæ à Principe prolata ſunt, aſſerit Nicol. à Paſſerib. *tr. de verb. enunciativ. lib. 2. quæſt. 4. per tot.* Siquidem verba Principis enunciativa pro diſpoſitivis ſumantur, idque ob perſonæ dignitatem *per Clem. 1. X. de probat.* Vaſquius de *ſucceſſ. lib. 1. §. 26. num. 30.* latè in terminis Principis Imperii hoc

 con-

confirmat Herm. Vult. *conſil. Marpurg. 21. num. 43 vol. 4.* Hieron. Cævallos *in commun. contr. commun. quæſt. 897. num. 178.* Merckelbach. apud Klock. *conſil. 16. num. 125. vol. 2.* Varias limitationes verborum enunciativorum, vide apud Joan. Aloys. Ricc. *collect. deciſ. part. 5. collect. 1825.*

2. XVI. Sanè diſputatur inſuper; *An Princeps aut Comes Imperij concedens Conſiliario, ob propriam benemeritorum aſſertionem & conteſtationem, aliquod privilegium vel jus aut beneficium, in remunerationem meritorum illud ſucceſſu temporis revocare, & Conſiliario ſuo adimere poſſit?* Negativam ſententiam, communi calculo receptam eſſe, eamq; judicando communiter obſervari tradit poſt alios latiſſimè: Franc. Burſat. *conſil. 16. num. 56. & ſeqq.* Cephal. *conſil. 342. num. 40. & 41.* Grammat. *deciſ. 45. num. 28. & 29.* Cacheran. *deciſ. 139. num. 28. & alij.* Idque hàc ratione firmatur, quoniam gratia conceſſa propter remunerationem, non eſt ſimplex donatio, ſed magis cum benemeritis permutatio, ac præſtiti officii compenſatio. Utpote ex cauſa neceſſaria profecta *per text. in l. ſed etſi. 25. §. cenſuit. 11. verſ. quamvis ibi: velut genus quoddam hoc eſſet permutationis. D. de petit. heredit.* Decian. *reſponſ. 25. numer. 32. vol. 1.* Vult. *conſil. Marpurg. 35. num. 109. vol. 2.* Rauchbar. *2. quæſt. 11. num. 15. latè* Dn. Bocer. *de donat. cap. 13. n. 2. & ſeqq.* Doctor Marta *conſil. 142. num. 5. 8. & per tot.* Ideoque per Principem revocari nequit, cum conceſſio hæc in Contractum tranſierit, & mutuam obligationem induxerit. *per text. magiſtralem & egregium reſponſum Papiniani in l. 27. D. de donat.* Ubi *Aquilius Regulus* juvenis ad Nicoſtratum Rhetorem & præceptorem ſuũ (qui floruit Romæ ſub Imperatore Caracalla) ita ſcripſit:

pſit : *Quoniam & cum patre meo ſemper fuiſti, & me eloquentia & diligentia tua meliorem reddidiſti : Dono & permitto tibi habitare in illo cœnaculo, eoque uti.* Defuncto Regulo, controverſiam habitationis patiebatur Nicoſtratus, & cum ea de re cum *Papiniano* contuliſſet, dixit : poſſe defendi non meram donationem eſſe, verum officium magiſtri quadam mercede remuneratum Regulum; Ideò non videri donationem ſequentis temporis irritam eſſe. Quod ſi expulſus Nicoſtratus veniat ad judicem, ad exemplum interdicti, quod fructuario proponitur, defendendus erit : Quaſi loco poſſeſſoris conſtitutus, qui uſum cœnaculi accepit. Cacheran. *deciſ. 64. num. 64.* Joſeph. à Seſſe *lib. 1. deciſ.* Aragon. *79. num. 40.* Camill. Borell. *conſil. 1 num. 135.* latè Hippolit. Riminald. *ad princip. tit. inſtit. de donat. num. 118. & 119.*

XVII. Quod ex reſponſo Pauli *in l. ſi pater. 34. §. 1. D. de donat.* probatur. Ex quo donationem, quæ ob benemerita fit, oneroſam eſſe conſtat. Quando enim alicui conceſſio fit, vel quod concedentem à morte, vel ab hoſtibus liberaverit, is non puram & meram liberalitatem exercet, ſed potius naturæ debitum ſolvit; Cum naturaliter obligati ſimus ad antidora & remunerationem. *Huc facit l. 17. D. de præſcript. verb.* Ita trádunt poſt alios Jul. Clar. *§. donatio quæſt. 3.* Carol. Tapia *ad l. fin. part. 2. cap. 9. num. 6.* Vult. *conſil. 35. n. 3. vol. 3.* Pruckman *conſil. 39. num. 51. vol. 1.* Ludolph. Schrader. *de feud. part. 5. cap. 1. num. 60. & 61.* Ita in terminis Comitis Imperii reſpondet Author Conſil. Argentor. *2. num. 107. vol. 2.* Quod variis authoritatibus latè comprobat Caſp. Klock. de *Contribut. cap. 16. ſect. 1. num. 178. & ſeqq.* Hinc privilegium conceſſum propter ſervitia quæ quis fecit conce-

denti, dicitur conceſſum ex titulo oneroſo, non autem lucrativo: ac videtur conceſſum pro ſolutione mercedis ſervitiorum factorum. Quod propriè nec donatio, nec gratia, nec indulgentia, ſed compenſatio magis, permutatio ac titulus oneroſus dici meretur, & realiter quaſi exiſtit, *per l. ſed ſi lege. 15. §. conſuluit. 11. ibi*: remuneratio eſt genus quoddam permutationis. *Ubi Bald. & DD. D. de petit. heredit.* Decian. *reſponſ. 25. n. 32. vol. 1.* Marta *conſil. 142. n. 2.* ac ita decisum fuiſſe refert Franchis *deciſ. 428.* Unde Doctores dicunt quod donatio ob benemerita & remuneratoria latiſſimam recipiat interpretationem. Decius *conſil. 193. num. 2. ac conſil. 413. num. 6.* Abb. Panormit. *conſil. 30. num. 2. libr. 2.* Adeò ut in dubio magis realis donatio ſeu conceſſio cenſeatur, & ad heredes tranſmiſſibilis, quam perſonalis, ſecundum ea quæ tradit poſt alios Menoch. *lib. 3. præſumpt. 103. num. 13.* Siquidem id quod benemerentibus conceditur, efficacius ſoleat concedi. *per l. 3. §. hi quoque D. ad SC. Syllan.* Joan. Igneus *add. l. 3. §. huic conditioni verſ. Et ſi aliud D. eod. tit. num. 55.* Joan. Anton. Bellon. *conſil. 58. num. 64. & 65.* Quod multo fortius procedit in donatione facta à Viro illuſtriſſimo, quæ favorabilis eſt & latiſſimè interpretanda, cum nobilitatis propria ſit virtus, liberalitas, *cap. 1. ubi* Barboſa *X. de donat. l. 7. de D. eod. tit.* Bonif. Roger. *conſil. 49. num. 2. & 25. vol. 1.* Bellon. *dict. conſil. 58. num. 66. & 67.* Diſſentit aliquatenus Natta *conſil. 164. num. 20.* Arius Pinell. *ad l. 1. part. 3. illat. 7. num. 60. & 61.* Quibus argumentis reſpondet Boeer. *dict. tr. de donatione cap. 13. numer. 2. & ſeqq.*

XVIII. Ampliatur hæc affirmativè reſoluta Quæſtio,

ſtio, de conceſſis propter benemerita, ut illa realia cenſeantur ideoq; ad heredes tranſitoria: adeò ut morte donatarii non expirant, ſed perpetuò exiſtant, ſecundum ea quæ tradit Anchoran. *conſil. 327. n. 3.* Tiraquell. *in l. ſi unquam. Verb. donatione largitus num. 48. C. de revoc. donation.* Menoch. *31. præſumpt. 103. num 13.* Joan. Anton. Bellon. *dict. conſil. 58. num. 64. & ſeqq.* Hæc reſoluta Quæſtio *declaratur,* eatenus vera, quatenus Principis remuneratio benemeritis correſpondeat; factum enim & cauſa debet commenſurari gratiæ. Cephal. *conſil. 94. num. 26. vol. 1.* Gabriel. *Comm. concluſ. lib. 3. tit. de jure quæſito. concluſ. 6. num. 6. & ſeqq* Reuſner. *conſil. 22. num. 55. libr. 3.* Caſp. Klock. poſt alios *dict. cap. 16. num. 183.* Matth. Cuno *de pactis cap. 6. num. 206.* Aliter Carol. Tapia *in dict. cap. 9. num. 7. & ſeqq.* Qui dimidium valoris rei ob benemerita donatæ conceſſionem attingere debere cenſet. Et poſt eum Doct. Marta *conſil. 40. num. 19. ac conſil. 145. num. 34.* Aliter *Auguſtin. Barboſa,* qui, utrum donatio dicatur immoderata nec ne, facultates donantis & merita donatarii conſideranda eſſe ſcribit *in tr. de officio & poteſt. Epiſc. part. 3. allegat. 114. num. 35.* ac ad caput ad hæc *6. num. 5. X. de teſtament.* Et ante eum Tiraquell. *ad l. ſi unquam. Verſ. donatione largitus, num. 83. & 84.* Oſaſch. Cacher. *deciſ. 171. num. 19.* Aliter *Rauchbar,* qui ſcribit, neceſſum non eſſe, ut ſervitia vel benemerita remunerationi exactè correſpondeant; Siquidem defectum meritorum ſuppleat Principis liberalitas. Rauchbar. *libr. 2. quæſt. 11. num. 17.* poſt. Decian. *reſponſ. 25. num. 79. vol. 1.* Hippolit. Riminald. *dict. princip. inſtit. de donat. num. 115. & ſeqq.* Verumenimverò conſideratis in facti contingentia omnibus circumſtantiis melius tandem erit totam hanc diſputationem Judicis arbitrio

com-

committere. Secundum Jul. Clar. §. *donatio, quæſt.* 8. *num.* 4. Menoch. *lib.* 2. *Arbitrar. caſ.* 112. *num.* 6. *& ſeqq.* Horat. Carpan. *ad Statuta. mediol. cap.* 264. *num.* 17. *&* 18. Matth. Cuno *dict. cap.* 6. *num.* 206. Vide omnino Dn. m. Henr. Bocer. *de donation. cap.* 13. *num.* 22. *& ſeqq. Qui variis declarationibus quæſtionem hanc reſolvit.* Franc. Niger. Cyriac. *controverſ. forenſ.* 270. *num.* 23.

CAPUT III.

De Principe aſſerente, ſcribente, aut atteſtante aliquid de facto Proprio. V. G. Ærarium eſſe exhauſtum: Reditus non ſufficere: Ex juſta neceſſitate eum petere tributum.

SUMMARIA.

I. *Prædicta diſtinctè ſunt accipienda.*

II. *Q. An ſoli Principis aſſertioni ſive voce, ſive literis facta ſtetur?*

III. *Adhibetur diſtinctio inter teſtationem de facto proprio & alieno.*

IV. *Aſſeritur: credendum eſſe Principi, ſi atteſtetur de facto proprio ratione Imperii & officii.*

V. *Confirmatur ratione deſumpta à fide actorum judicialium, Officialium, Notariorum.*

VI. *Illuſtratur per ſpeciales aſſertiones Principum de jure vel factis.*

VII. *Limitatur propoſita Regula.* I. *cùm aſſertio eſt maximi præjudicii, & vergit in detrimentũ tertii.*

VIII. *Limitatur* II. *cùm negotium verſatur cum non ſubdito Principis.*

IX. *Limitatur* III. *cùm Princeps in proprium commodum aliquid aſſerit.*

X. *Q. An credatur Principi, aſſerenti, ærarium eſſe*

exhau-

Digitized by Google

exhauſtum ? ejusq; affirmativa proponitur.

XI. *Negativa præfertur, ob inefficaciam teſtimonii in propria cauſa.*

XII. *Q. An pro Principe militet præſumptio juſtæ cauſæ in imponenda collecta?*

XIII. *Proponitur affirmativa Fr. Suarezii, cum ejusdem rationibus & teſtimoniis aliorum.*

XIV. *Contrariam ſententiam amplectuntur tàm Caſiſtæ, quàm IureConſulti.*

XV. *Caſiſtarum teſtimonia & rationes afferuntur.*

XVI. *Allegantur plures IureConſulti huic ſententiæ ſubſcribentes.*

XVII. *Deciſio quæſtionis modò reſolutæ, quo in caſu ſcil. Principis aſſertioni credendum ſit.*

I. CÆterum ea, quæ huc uſque dicta ſunt, non ita plana ſunt, ut indiſtinctè & abſque ſollicita declaratione recipienda ſint. Habemus enim in Jure claros textus, nimirum *cap. cum à nobis 28. ibi. cujuscunq; dignitatis X. de Teſtib. ac l. 9. §. 1. ibi.* etiamſi præclaræ Curiæ honore præfulgeat. *C. d. Teſtib. l. 20. D. d. quæſtionib.* In quibus clarè conſtitutum eſt, nullam dignitatis prærogativam efficere poſſe, ut unius ſolius dicto ſtetur. Vide poſt alios de Principe ſcribentes Fulv. Pacian. *de probat. libr. 1. cap. 48. num. 63. & ſeqq.* Volcmar. Heſs. *d. teſtib. cent. 1. concluſ. 32. cum ſeqq.* Bodin. *d. Republ. libr. 1. cap. 10. ac lib. 6. cap final.* Frid. Tilemann. *diſput. ad Digeſt. 3. th. 37. vol. 2.* latè Jan. Langlæ. *in ſemeſtrib. lib. 3. c. 1. per tot.*

II. Exinde dubium oritur; *An Princeps aliquid afferens ſive voce ſive literis, ceu Perſona (utcumque illuſtris) attamen unica, plenam fidem mereatur, ejusque ſoli dicto ſtetur?* Q. Hoc dubium variis diſtinctionibus determinant Mynſing. *cent. 5. obſervat. 34.* Oldrad. *conſil. 258. per tot.* Fari-

Digitized by Google

nac. *d. teſtib. quæſt. 63. num. 93. & ſeqq.* Anton. Gabriel. *Comm. concluſ. lib. 1. tit. de probat. concluſ. 2. per tot.* Maſcard. *de prob. concluſ. 2.*

R. III. Veruntamen brevitati ſtudendo, ita rem determinandam eſſe cenſeo, habita differentia: An Princeps atteſtetur *de facto proprio ratione Imperii & officii*; An verò *de facto alieno.* Quam diſtinctionem latè perſequitur Thom. Grammat. *deciſ. 105. n. 9. & ſeqq.* Oliver. Bertramin. *in addit. ad deciſ. Ludoviſii 239. lit. B.* Joan. Aloys. Ricc. *coll. deciſ. 2917.* Beſold. *de Majeſtate in gener. c. 9. n. 4.*

IV. Si enim verum eſt (ſicuti veriſſimum eſt) Quod *M. Tullius Cicero* ſcripſit: Juſtis & fidis hominibus, id eſt, bonis ita fides adhibetur, ut nulla ſit in his fraudis & injuriæ ſuſpicio. Unde illud dogma jactatur, quod credendum ſit bono Viro, ſumptum ex Gloſs. notab. *in l. Titio fundus. verb. actiones. D. de condit. & demonſtr.* Marquard. Freher. *de exiſtimat. libr. 2. cap. 4. num. 2043. ac cap. 6. num. 21. & paſſim.* Quanto magis Principi Imperii plena fides adhibetur, ſi atteſtetur de facto proprio ratione Imperii & officii; ſeu quod idem eſt, de facto quidem alieno, ſed quod à ſe vel coram ſe geſtum & actum eſt, ſcilicet in quo fundatur gratia vel intentio Principis proprium factum narrantis. Sicuti tradunt Doctores *in Clem. 1. de prob. Creſcent. deciſ. 2. num. 2. tit. de Renunciat.* Tiraquell. *de retract. lign. §. 1. gloſſ. 14. num. 49.* Maſcard. *de probat. concluſ. 139.* Auguſt. Barboſa. *ad d. Clem. un. num. 2. & 6. ubi plures allegat. latè* Decian. *conſil. 18. num. 273. vol. 1.* Voco Farinac. *de teſtib. quæſt. 63. num. 92. & pl. ſeqq. ac 136.* Grammat. *deciſ. 65. num. 61. 64. & paſſim.* Matth. Weſenbecc. *conſil. 148. num.*

47.

47. Joh. Gaddæ *conſil. 37. num. 266. & 891. conſil. Argentor. 57. num. 159. vol. 1.* Merckelbach. *apud Klock. conſil. 16. num. 131. vol. 2.* Doctor Marta. *conſil. 1. num. 31.* de Rege Hiſpaniæ, ac quod ejusdem aſſertio regia, adverſus violentias ab Eccleſiaſticis ſecularibus Judicibus illatas in proprio facto probet; tradit Franciſc. *Salgado de Reg. protect. p. 1. cap. 1. num. 27.* Tunc autem dicitur fundari intentio Principis, quando narrat ea quæ eum movent ad hoc vel illud concedendum Maſcard. *dict. tr. concluſ. 1227. num. 93.* Cravet. *de antiquit. temp. part. 1. n. 16.* Hinc Principi pleniſſima fides habetur, ſive ore aut voce, ſive literis aliquid afferat, ſi teſtatur de re, quam ipſe ſolus faciendi Jus habet, veluti; Quod Titio literas moratorias conceſſerit, famæ reſtituerit, pœnam remiſerit, aut ſi de re quæ coram ipſo, tanquam Magiſtratu, acta aut geſta & ſic officii ratione aliquid atteſtetur. *arg. text. in Clem. un. d. probation.*

V. Quoniam Principi non minus quam Judicialibus Actis fides pleniſſima adhiberi debet; Nam ſi ſtatur literis Judicis atteſtantis aliquid de his, quæ ad ſuum officium pertinent. *per text. in l. ſi publicanus 4. §. 1. ibi. ſignificet libello manu ſua ſcripto. D. d. publican.* Etiamſi Judex eſſet valde Ribaldus & ultra modum ſeverus Jaſon. *in l. pacta noviſſima n. 7. de pactis.* Bonifac. Ruger. *conſil. 60. n. 5. vol. 1.* latè per exempla Fulv. Pacian. *de probat. lib. 1. cap. 48. num. 66. & ſeqq.* Ac ſi officiali quoque creditur in iis, quæ ſpectant ad officium ſuum. *per text. in l. ſi quis decurio 21. verſ.* Nec verò, ibi: per ipſum debet probari auctorem. Ubi Salicetus *C. ad L. Cornel. d. falſ.* Bald. *in Rubric. Cod. d. fid. inſtrument.* Jacob. de Sanct. Georg. *in l. ſerv. 7. in fin. D. d. teſtib.* Maſcard. *d. probat. concluſ. 1243. per tot.*

Digitized by Google

per tot. Quod latius comprobat Alvar. Valaſcus *deciſ. Luſitan.73. num.1.* Ac ante eum Grammat. *conſil. crim.13. num.13.* Quantò magis credendum eſt Principi Imperii, cujus Authoritas ſuper Judices longè eminet. Maſcard. *d. tract. lit. P. concluſ. 1227. per tot.* Anton. Gabriel. *dict. concluſ. 2. num.11.* Ac magis credendum eſt Principi quam Notario uni vel pluribus *arg. Nov. 73. cap. 7.* Anton. Gabr. *tit. de probat. libr.1. concluſ. 2. n.11.* Befold. *de Majeſtat. cap. 9. fol. m. 94.*

VI. Ex eadem ratione Principi ob ſummam nobilitatem & dignitatem aſſerenti ſe habere privilegium nobilitandi vel quidpiam aliud, plena fides adhibetur. *arg. l. un. §.1. ibi. majoris ſunt vigoris & efficaciæ D. d. offic. præfect. prætor.* Alciat. Regul. *1. præſumpt. 48.* Jacob. Menoch. *libr. 6. præſumpt. 59. num. 4.* Præterea Principi creditur, ſi narret ſe à partibus fuiſſe ſupplicatum. Creſcent. *dict. deciſ. 2. num. 1. tit. de renunciat.* Rota Roman. *deciſ. 171. num. 2. part. 1. diverſor.* Creditur item, ac plenam fidem habent verba literarum Apoſtolicarum, quibus Papa proprium factum narrat, ſi ſuper illos gratia & intentio Papæ fundetur. *Clem. unica.* Ubi Bonifac. de Vitalin. ac Auguſt. Barboſa *de probat.* Idem dicendum eſt, ſi Epiſcopus narret, Beneficii reſignationem in ejusdem manibus factam eſſe. Paris *de reſignat. benefic. libr. 8. quæſt. 11. num. 1.* Oliver. Bertram. *in dict. addit. ſub lit. c. latè* Auguſt. Barboſa *ad d. Cl. un. num. 12. & 13. X. de probat.* Ulterius Principis aſſertioni creditur, quamvis narret factum ſui Prædeceſſoris; præſumitur enim quod inſtructus aſſeruerit. Paris *conſil. 99. num. 3. vol. 4.* Franc. Ripa *reſponſ. 1. num. 20. libr. 1.* Maſcard. *de probat. concluſ. 1227. num. 48.* Decian. *reſponſ. 18. num. 275. vol. 1.* Cra-

Cravetta *de antiquitat. temp. part. 1. num. 12.* Barboſa. *ad Clem. 1. de probat. num. 10.* Conſil. Argent. *57. num. 23. vol. 1. ac conſil. 110. num. 71. vol. 2.*

VII. Sanè ea quæ uſque huc dicta ſunt, notabilem Limitationem I. recipiunt in his negotiis, *quæ ſunt maximi præjudicii*, ac in grave Tertii detrimentum vergunt. Quo fit ut Principis aſſertioni de geſtis per ſemetipſum, credendum non ſit, cùm res ſit mali exempli, *ſecundum Gloſſ in Cl. un. de probat* Card. Paris. *conſil. 15. num. 23. & 24. vol. 4.* Iacob. Menoch. *lib. 6. præſumpt. 59. num. 5.* Tiraquell. *de pœnis temperand. cauſ. 51. num. 14.* Fariuac. *dict. quæſt. 63. num. 151.* Fulv. Pacian. *de probat. libr. 1. cap. 48. num. 75. & 76.* Ac quod Principi non debeat credi, quando ejus aſſertio aut atteſtatio tendit ad præjudicium Tertii, tradit Anchoran. *conſil. 398. num. 4. & 5.* Curt. junior. *conſil. 142. num. 9. & 10. ac conſil. 170. num. 31.* Cravetta *conſil. 171. num. 11.* Cum ea quæ à Jure ſunt improbata, aut cum alterius injuria conjuncta, Princeps Imperii nec aſſerere nec concedere cenſeatur. *per text. in l. 2. §. meritò 10. D. ne quid in loco publ.* Adrad. *de Ponte. conſil. 264.* Anton. Faber. *in cauſa Montisferrat. part. 1. fol. m. 9.* optimè Maſcard. *dict. concluſ. 1227. num. 104.* Hinc eleganter in caſu propoſito ſcribit Cicero: *itaque* (inquit) *more majorum comparatum eſt, ut etiam in minimis rebus homines ampliſſimi teſtimonium de ſua re non dicerent.* Cicer. *in orat. pro Roſcio Amerin.* Quod eò magis verum eſt, quando agitur de auſſerendo jure Tertio quæſito de jure Gentium, vel de eo jure, quod alias à Principe tolli nequit. Tunc Principis aſſertioni ſtandum non erit. Andr. de Iſernia, *in cap. 1. §. fin. num. 4. quo tempor. mil.* *Alexand. conſil. 124. num. 2. lib. 1.* Cravetta *conſil. 135. num.*

42. ac de antiquit. tempor. part.1. verb. non amitto, num. 22. Farinac. *quæſt.63. de teſtib. num.174. & ſeqq.* Jul. Clar. §. *fin. quæſt.53. ſub. num.21.* Quod poſt plures deducit *Conſil. Argentor.57. num.160. & 161. vol.2.* Ubi de aſſertione Imperatoris Maximiliani I. **Von dem Urſprung zweyer Bächen in dem Gebürg/ vnd woher ſie flieſſen/** hoc exemplificat; **daran den Burgern zu H. ſehr viel gelegen war.** Mynſing. *cent. 4. obſerv. 34. num. 6.* Mohedan. *deciſ.7. num.2. tit. de probat.* Joan. Aloys. Ricc. *coll. deciſ. 2917. in fin.* poſt alios Gars. Maſtrill. *de Magiſtrat. libr.3. cap.4. num.56.* Diſſentit Chriſtoph. Straſſen apud Kirchov. *conſil.24. num 42. vol.3.* Franſc. Salgado *de Regia poteſt. in præfat. num.27.*

VIII. *Limitatur II.* præfata Regula, an Principis aſſertioni de proprio facto, ratione ſui intereſſe ſtetur nec ne; Quod locum non habeat, quando res vel negotium verſatur *cum non ſubdito Principis*. Hoc enim caſu Principis aſſertioni de facto aut ſcientia propria non ſtatur. Caſtrenſ. *conſil.46. vol.2.* Socin. Senior. *conſil.120. libr.3.* Cravetta *de antiquit. temp. part. 1. in 3. partic. num.10. ac conſil. 135. num. 42.* Mynſing. *cent. 5. obſerv. 34. num. 6. Conſil. Marpurg.37. num.266. vol.4.* Maſcard. *de probation. concluſ.1227. numer.81.* Hac addita ratione *ſub numer.85.* Quoniam Princeps contra non ſubditum, non poteſt uti plenitudine poteſtatis: Quo verò credatur Principis aſſertioni in facto proprio, eſt ſummæ poteſtatis Privilegium vel ſecundum aliam rationem *Menochij*: Quoniam ſicuti Princeps Perſonæ ſibi non ſubjectæ præjudicare non poteſt; Ita nec quicquam agere, vel aſſerere poterit, quo præſumptio vel jus inducatur contra non ſubditum. Et Ratio Rationis hæc eſt: Quoniam

niam illa bona præſumptio ratione fidei, quæ pro Principe militat, ex cauſa Principatus provenit, qui quidem Principatus & Dominium ceſſat in Perſona ſibi non ſubdita. Farinac. *dict. quæſt. 63. num. 193.* Menoch. *de præſumpt. lib. 2. Præſ. 10. num. 26.* In qua tamen Limitatione multum Judicis arbitrio committendum & relinquendum erit.

IX. *Limitatur III.* præfata aſſertio in caſibus quibus in *proprium commodum* Princeps aliquid aſſerit aut conteſtatur. Proindè cum Princeps extraordinariam collectam à ſubditis exigere nequeat, niſi proprii reditus pene deficiant, ac publica neceſſitas ſubditorum ſubſidium efflagitet; ex hac Limitatione elegans dubium oritur.

X. *An Principi Imperii credatur, ejusvè aſſertioni plena fides adhibeatur, ſi aſſerat ærarium eſſe exinanitum, nec proprios reditus ſufficere ad ſuſtinenda onera publica, ideò ſe ex neceſſitate publica collectas petere?* Quod firmiter ſtatuit in terminis collectarum Roland. à Valle *conſil. 1. num. 84. & ſeqq. lib. 2* Lancell. Gallia *conſil. 1. num. 27.* Marc. Anton. Natta *conſil. 487. num. 46.* ubi exclamat. *Quis tanta* (inquiens,) *ſuperbia faſtigio tumidus eſſet, ut regalem ſenſum neget?* cum ſecundum *l. 12. C. de leg. ac l. 2. C. de Crim. Sacrileg.* ejusdem vox & aſſertio vim legis habeat. Hieron. Cævall. *in ſpec. Comm. opp. cap. 578. num. 26. ubi dicit:* Quod non ſit facienda in hoc paſſu inquiſitio ſcrupuloſa, ſicuti faciunt aliqui Decuriones temeratæ conſcientiæ aliquarum Civitatum, quia hoc à jure reprobatur *per l. doli. in fin. D. de novat. poſt alios* quos allegat Antonin. Diana *Reſolut. moral. 11. in part. 1. tr. 3.* Nicol. Everhard. *conſil. 1. ſub num. 29. vol. 1* ubi tradit: Quod in

in Principe ſemper præſumatur juſta cauſa. vide poſt plures Menoch. *2. præſumpt. 10. per tot.*

XI. *Verumenimverò Contrariũ* ac quod Principi Imperii aſſerenti, ſuos reditus Camerales, facta exacta computatione ſufficientes non eſſe ad hoc vel illud onus publicum ſuſtinendum, abſque ſubditorum ſuorum ſubſidio, ita ſimpliciter credendum non ſit, egregii viri Prudentes aliter cenſent. Nam ubicunque Princeps ex ſua aſſertione commodum aliquod ſentit, ac ſubditi tàm mediati quàm immediati onus aliquod percipiunt, Principis verbis fides non adhibetur, ſiquidem in propria cauſa nemo teſtimonium legitimum proferre poteſt, cujuscunque dignitatis gradu præfulgeat *per cap. cum à nobis 28. X. de teſtib. l. 9. §. 1. C. de teſtib.* Etiamſi Princeps fuerit, Cravetta *de Antiquit. temp. part. 1. num. 11.* Decius *conſil. 576. in fin. ac conſil. 600.* Nam nec dignitas vel exiſtimatio, nec vitæ alicujus integritas quicquam efficere poteſt ad firmandum alicujus in propria cauſa teſtimonium. Quacunque enim dignitate quis polleat, vel vitæ ſanctimonia præcellat, teſtimonium omnino illius de ſe vel in re propria rejicitur. Cum natura quisque utcunque illuſtris, ferè ſibi ſuffenus, ſuique ſupra modum amans, animi quadam propenſione corruptus, propriis commodis impenſius faveat: Omneque quod velit, & è ſua re eſſe ducat, ſanctum exiſtimet. Sicuti hoc præclarè deducit Janus Langlæus *lib. 3. Semeſtr. cap. 1. per tot.* Id quod eleganter exprimit *M. T. Cicero* dicens: More Majorum comparatum eſt, ut in minimis rebus homines ampliſſimi teſtimonium de ſua re non dicerent. *Africanus* qui ſuo cognomine declarat, tertiam partem orbis terrarum ſe ſub-

ſe ſubegiſſe, tamen ſi ſua res ageretur, teſtimonium non diceret. Nam illud in talem Virum non audeo dicere: ſi diceret, non crederetur. Cicero in orat. *pro Sex. Roſcio Amer*. Ita fere tradit. Andr. de Iſern. *ad cap. un. qui Succeſſ. teneant ubi Afflictis. num. 69.* Tiber. Decian. *reſponſ. 2. num. 80. & 125. vol. 1.* Maſcard. *d. probat. concluſ. 1227. n. 114.* Mar. Muta *in cap. Reg. Sicil. num. 35.* Farinac. *de teſtib. q. 60.* Qui *ſub num. 15.* aſſerit: quod nec Rex nec Princeps in cauſa propria aut ubi commodum ſentit, idoneum teſtimonium afferre poſſit. *per leg. 9. §. 1.* Ubi Auguſt. Barboſa *C. de teſtib.* Menoch. *2. Arbitrar. QQ: caſ. 181. n. 5.* ubi tradit: Quod ipſe Dominus ſibi hac in re propria jus dicere non poſſit. Andr. Fachin. *lib. 1. conſil. 11. num. 8.* ubi ſcribit: Non eſſe ſtandum Principis aſſertioni dicentis, ſe non habere de ſuo. Joan. Gœdden. *conſil. Marpurg. 16. num. 474. vol. 4. ac latius conſil. 37. n. 892. qui ſub num. 891.* benè dicit: Quod Regula vulgò tradita, ſcilicet Principis aſſertioni ſtandum eſſe, procedat tantum, ſi de ſuo facto, ſuaque propria ſcientia teſtetur in re aliena; non verò ſi in re propria quid aſſerat. *per l. in omnib. D. de teſtib.* Beſold. *tr. de ærario c. 4. num. 2. verſ. 2.* Caſpar. Klock. *de Contrib. cap. 7. ſub. num. 63.*

XII. Attamen ex hiſce traditis aliud oritur Dubiū: Cum vulgata ſit Regula penes JCtos: Pro Principe ſemper eſſe præſumendum. *Annon pro Principe militet præſumptio, quod in petenda aut imponenda collecta juſtam foveat cauſam, ac ex urgente cauſa Tributum expetat, adeò* ut Populus aut Status Provinciales contranitentes onus probandi contrarium ſubire teneantur? Q.

XIII. Sanè hoc conſtanter aſſerit Franc. Suarez *tr.*

F *de legib.*

de legib. lib. 5. c. 18. n. 18. Hac motus Ratione; Quod veriſimile non ſit jus Canonicū aut Civile hanc notam inurere Principi legitimo, ut præſumat, regulariter eſſe iniqua nova Pedagia ab eis impoſita. Ergo ex vi, *cap. quamquam. de Cenſib. in 6.* non poſſunt talia tributa præſumi injuſta: Et paulò poſt: Nam ſicuti ſubditus poſſidet ſuam pecuniam, ita Princeps poſſidet ſuum jus imperandi & obligandi ſubditum, quod eſt majus & excellentius, & pro illo magis præſumitur. Et hæc eſt Ratio, ob quam Præceptum Superioris præfertur dubitationi ſubditorū, licet videantur poſſidere res ſuas, aut libertatem ſuam, vel actiones ſuas. Ita ergo in præſenti dubio præfertur Princeps Subditis, cum eadem ratio militet penes utramque partem, nec poſſit Reſpublica aliter convenienter gubernari. Hæc Suarez. *dict. cap. 18. n. 18.* Cui aſſentit ex Caſiſtis Vasquez. *de reſtit. cap. 6. §. 3. dubit. 1. num. 78.* Turrian. ad Thomam. *1a. 2a. tom. 2. diſput. 48. dubit. 6. n. 5.* Quibus adſtipulantur multi ex JureConſultis, moti authoritate *præcipuè l. 2. C. de Sacrileg.* Quod nefas ſit de Principis poteſtate diſputare. *Ac per C. 1. de probat. cap.* Nobiliſſimus *diſt. 97.* qualis eſt Cynus *in l. reſcripta. quaſt. 3. & 4. C. de precib. Imp. Offer.* Abbas Panormit. *conſil 84. num. 7. L. 1.* Socin. Senior *conſil. 266. n. 55. lib. 2.* Jaſon. *conſil. 233. in fin. lib. 2.* Franc. Curt. Jun. *conſil. 170. num. 25.* Oſarch. Cacheran. *deciſ. 88. n. 26.* Hinc Principi mandanti per edictum, ne Subditi è territorio migrent, publica utilitate id exigente, aſſerenti plene credendum eſſe, pro Duce Parmæ reſpondit acutiſſimus Joan. Ant. Bellon. *conſ. 5. n. 66. & 68.* quo faciunt tradita per Menoch. *de præſumpt. lib. 2. præſumpt. 10. à num.*

XIV. Contrariam ſententiam nempe quod pro Prin-

Principis aſſertione non præſumatur, juſtam cauſam militare ſi dicat, neceſſitatem publicam requirere[f], ut novam collectam ſubditi exſolvant, Viri graviſſimi tam Caſiſtæ quam JureConſulti amplectuntur. Et hoc per *Clem. paſtoralis. de re judicat.* Ubi cauſa non præſumitur in Principe, qui ſententiam tulit parte non citata. *cap. 1. de cauſ. Poſſeſſ. & propr.* Quo facit *text. in l. ſi donatione C. de collat.* Qua conſtituitur, quod quando aliquis non poteſt quidpiam facere ſine juſta cauſa, illa cauſa ab eo probari debet, qui factum allegat. Huc *confer l. ſi fortè D. de Caſtrenſ. pecul.* Quæ ſanè Regula locum quoque habet in Principe, ſecundum Decium *in conſil. 576. num. 10. in fin.* Nam quando Princeps ſine juſta cauſa aliquid facere non poteſt, privatæ perſonæ æquiparatur. Dec. *in l. mutare in fin. D. de Reg. jur.* Menoch. *lib. 2. præſumpt. 10. num. 53. & 54.* Præterea aliam quoque rationem tradunt *Caſiſtæ* dum ſcribunt: Quando novæ imponuntur Gabellæ, & de illarum juſtitia non conſtat, ſed dubitatur prudenter an deſit aliquid ex requiſitis, ut juſtæ ſint nec ne, tunc in conſcientia non debentur. Cujus rationis hæc Ratio eſſe poteſt; Quia in dubiis nemo tenetur obedire cum proprio damno: Aſt ſi gabellæ in dubio ſolvantur, damnum eſt ſolventi. Tum etiam, quoniam Subditi ſunt in poſſeſſione rerum ſuarum: at in dubio melior eſt conditio Poſſidentis.

XV. Atque ita ex iis qui Caſus Conſcientiæ tractant, tradit Ludov. Molina *de juſtit. & jur. tom. 3. diſput. 673.* Sylveſtr. *in ſumma. verbo. Gabella. 3. n. 9.* Leonhard. Leſs. *de juſtit. & jur. lib. 2. cap. 33. dubit. 9. num. 67.* latè Valer. Reginald *in Praxi fori Pœnitent. lib. 10. cap. 25. num. 375. ubi ſub n. 374. tradit;* Ad collectam imponendam neceſſa-

ceſſarium eſſe ut conſtet eam eſſe juſtam. Nam ſi de eo dubitetur, oportere imponentem probabiles rationes habere, ob quas prudenter ſtatuere valeat, ſe hîc & nunc ob easdem poſſe imponere. Bartol. à S. Fauſto alias Pyrrho *tr. de reſtitut. diſp. 33. quæſt. 27. num. 3. & per tot.* Poſt alios noviſſimè tradit Anton. Diana *in reſolut. moral. part. 2. tract. 17. reſol. 59. per tot. ac part. 3. tract. 5. miſcell. reſolut. 78.* Decius *conſil. 445. num. 61.* Carol. Ruin. *conſil. 3. per tot. vol. 5.* Roland. à Valle *conſil. 1. n. 58. vol. 1.* Ludov. *concluſ. 14. verſ. 43.*

XVI. Ex JureConſultis vero ita cenſent Oldrad. de Ponte *conſil. 240. in dubio. 2.* Ludov. Roman. *conſ. 352. in fin.* Gozad. *conſ. 26 num. 41.* Nevizan. apud Brun. *conſil. 12. num. 145.* Et ipſe Brun. *conſil. 15. n. 7.* latè Cravetta. *conſil. 135. n. 41.* Alciat. *tr. de præſumpt. Regul. 3. præſumpt. 8. num. 7.* Ubi hanc opinionem veram eſſe non ſolum de jure, ſed etiam de æquitate dicit. Et hanc quæſtionem omnino latè diſputat egregius Menoch. *lib. 2. præſumpt. 10. à num. 52. usque ad fin.* Quod aliis inſuper authoritatibus & rationibus fuſe deducit Joan. Maria. Novarr. *de Gravamin.* Vaſall. *tom. 3. Gravam. 39. per tot.*

XVII. *Declaratur* autem modo reſoluta quæſtio eo in caſu, quando Conſiliarii Camerales qui ſcientiam annuorum redituum habent, aut quidam ex Proceribus ipſis aſſerunt, ærarium eſſe exhauſtum, nec præſenti neceſſitati aut urgentibus impenſis par eſſe poſſe, adeoque Principis ſui aſſertioni, tanquam periti, in rebus quarum Scientiam habent & habere poſſunt, aſſiſtunt: Quo in caſu Principis aſſertioni creditur ſecundum Matth. *de Afflictis, de feud. Tit. Hic finitur Lex in*

ſecund.

Digitized by Google

ſecund. Notab. num. 3. Roland. à Valle. *conſ. 1. n. 84. vol. 2.* Cravetta *conſil. 702. num. 4.* Don. Garſia Maſtrill. *de Magiſtrat. lib. 3. cap. 4. num. 55.* Andr. Knichen. *tr. de Saxon. non provoc. privileg. verb. Ducum. cap. 5. num. 331.* Joan. Gæddæ. *conſil. Marpurg. 16. num. 279. vol. 4.* Caſp. Klock. *d. tr. c. 7. num. 62.* Et hoc ex ea ratione, quoniam Conſiliarii, Præfecti, ac qui aliqua dignitate præfulgent, etiamſi in commodum Domini deponant, nihilominus tamen fidem merentur. Siquidem omni gratiæ & Potentatui fidem præponere præſumuntur. Sicuti *per. l. Eos. C. de teſtib. Innocent. in cap. in literis. X. de teſtib.* loquitur & ſcribit Mynſing. *reſponſ. 21. num. 32.*

CAPUT IV.

De Principe atteſtante & ſcribente, de facto tertii, non coram ſe geſto.

SUMMARIA.

I. *Cum jus ſit finitum, facta autem infinita, ob ſingularitatem eorum, & diverſitatem circumſtantiarum; ideò interpretatio difficilis.*

II. *In Principe non præſumitur ſcientia facti alieni, à minori ad majus procedendo.*

III. *Principis atteſtationi de facto alieno, non coram ſe geſto, non creditur, ob rationes obſtantes. Diſſentiit tamen Marq. Freher.*

IV. *Ejus ſententia limitatur. 1. Si Principis aſſertio de facto alieno facta eſſet proprio motu.*

V. *Limitatur. 2. ſi res verſetur in cauſis antiquis.*

I. Vulgata JureConſultorum Regula habet, *quod jus ſit finitum, facta autem ſint infinita.* Ideo facti

quæſtio non pendet ex jure, quod eſt certum, ſed pendet ex probationibus & mille circumſtantiis *l. duo ſunt. 30. in fin. D. de teſtam. tutel.* Id eſt ſingularibus & individuis, quæ ſunt infinita, nec in artem cadunt. Ariſtot. *lib. 2. Ethic. cap. 2.* Joh. Ramus *ad l. in omni. 2. num. 4. D. de jur. & fact. ignor:* Propter hanc factorum infinitatem, earumque diverſitatem circumſtantiarum, reſponſum eſt à JureConſulto Neratio, quod facti quæſtio ſeu interpretatio plerunque etiam Prudentiſſimos fallat. *in d. l. in omni. 2.* Quæ ſtatus cauſæ conjecturalis dicitur à Quintiliano *Inſtit. Orator. lib. 12.* Joan. Malcot. *ad Rubr. C. de I. & F. ignorant. num. 5.*

II. Hinc provenit ea Jurisprudentum aſſertio, ut, ſicuti privatus ſcire factum alienum non præſumitur, niſi illud legitimè probet. *per l. 1. C. de probat. l. quacunque. 13. §. fin. D. de publician. in rem action.* Pacian. *de probat. lib. 1. cap. 13. num. 8.* Andr. Gail. *1. Obſerv. 36. num. 16.* Infinitos allegat Freundenberg. *de reſcript. morat. concl. 52. n. 26.* Multò minus in Principe præſumamus ſcientiam facti alieni. *arg. l. fin. D. pro ſuo cap. ab excommunicato, X. de reſcript.* Et hoc propter multitudinem negotiorum occurrentium; Quæ facilius inducunt oblivionem & præſumptam ignorantiam. *per cap. cum olim. X. de re judicat.* Paul. Caſtrenſ. *conſil. 46 vol. 2.* Maſcard. *de probat. Concluſ. 1227. num. 59.* Quod optimè deducit Joan. Bapt. Larrea *allegat. fiſcal. 16. num. 24. & 25.*

III. Hinc fluit Regula: Quod quando Princeps Imperii atteſtatur de *facto alieno non ſecum geſto*, tunc Principis aſſertioni ſtandum non erit: Etiamſi ſuper tali facto in tentionem vel diſpoſitionem fundaret. Quod bene

bene deducit Farinac. *de teſtib. quaeſt. 63. cap. 3. num. 157.* Oldrad. *conſil. 158.* Alexand. *conſ. 112. vol. 7.* Anton. Gabriel. *Comm. concl. tit. de probat. concl. 2. num. 43.* Maſcard. *de probat. concl. 1227. num. 52. & ſeqq.* Mohedan. *deciſ. 7. in fin. tit. de probat.* Joan. Aloys. Ricc. *coll. dec. 2917.* Et ex eo Oliver Beltram. ad Ludov. *deciſ. 239. lit. B.* Et hoc per rationem quam adducit Aretinus; Nempe ſi crederetur Principi aſſerenti aliquid de facto alieno; Duo ſpecialia concurrerent; Primum, quod uni ſoli fides adhiberetur, Alterum quod ei crederetur de his, quæ ab altero audivit, quod contra *cap. licet ex quadam. X. de teſtib.* ac contra jura vulgata fieret. Aretin. *in cap. cum à nobis. num. 11. X. de teſtib. ac conſil. 22. num. 9.* Alexand. *conſil. 112. lib. 7.* Decius *conſ. 198. ac conſil. 606.* Ubi in terminis loquitur. Jul. Clar. *§. fin. quaeſt. 53. num. 21.* Et hoc adeò quidem verum eſt, ut hæc Principis aſſertio, ne quidem præſumptionem inducat, ac conſequenter onus probandi contrarium in Adverſarium minimè transferat, ſecundum Jaſon. *conſ. 76. vol. 3.* Franc. Curt. *conſ. 20.* Mynſing. *d. cent. 4. Obſerv. 34. num. 8.* Ita deciſum fuiſſe in Rota Romana aſſerit inſuper allegando præjudicium, Joan. Aloys Ricc. *in dict. collect. deciſ. 2917.* Quamvis aliter ſcribat, & aſſertionem Boni Viri, etiam in rebus ad Tertium pertinentibus fidem mereri cenſeat poſt alios Marq. Freher. *de exiſtimat. lib. 2. cap. 4. n. 5.*

IV. Quod tamen non procedit, ſed *limitatur primò.* Si Principis aſſertio de facto alieno facta eſſet proprio motu; Tunc enim tali aſſertioni credendum eſt, ſecundum Oldrad. *conſil. 228.* poſt alios Gabriel. *d. concluſ. 2. num. 55.* Puteus *deciſ. 110.* *Scraphin. deciſ. 10.* Et hoc procedit etiamſi Princeps dixiſſet; *ſicuti accepimus.* Achill.

chill. de Graſſis. *deciſ. 10. tit. de probat.* Vide Aloys Ricc *dict. coll. deciſ. 2917.* Idque ex ea ratione: Quoniam Princeps id aſſerere videtur tanquam informatus. ſecundum Alexandr. *conſ. 112. num. 1. & 4. l. 7.* Cravetta *de antiquit. tempor. part. 1. num. 11.* Quod tamen eatenus verum eſſe, Doctores tradunt, ut hæc aſſertio probationem tantum præſumptivam inferat & inducat. Socin. Senior *conſil. 87. num. 19. vol. 3.* Idem quoque erit, cum Princeps aliquid aſſerit ex certa ſcientia, vel ſi in literis reſcribat, ſe benè informatum eſſe. poſt alios Menoch. *conſil. 100. num. 24.* Diſtinctionem bonam addit Maſcard. *de probat. Concluſ. 1227. num. 71.*

V. *Secundo limitatur*, ſi verſaremur in cauſis antiquis: Hoc enim caſu verbis Principis, etiamſi narrativis, de facto alieno fides adhibetur. Ant. Gabriel. *dict. concluſ. 2. num. 54.* Maſcard. *dict. loc. n. 117.* Cravetta *de antiquit. tempor. part. 1. num. 33.* Mynſing. *dict. Obſerv. 34. num. 10.* Joan. Baptiſta Ferretus *conſil. 249. num. 4. & ſeqq.* Hoc tamen obſervandum eſt, quod generaliter verbis Principis narrativis fides adhibeatur, ſi aſſerat aliquid circa idoneitatem & qualitatem Perſonæ ad officium aliquod promotæ. Proinde relatio narrativa Pontificis aut Epiſcopi de idoneitate proviſi, de beneficio non eſt juſtificanda aut examinanda. ſecundum Rot. Roman. *in deciſ. 101. num. 2. ac deciſ. 140. n. 3.* Joan. Aloys Ricc. *dict. coll. deciſ. 2917.* Et hoc ex eo Beltramin. ad Ludoviſ. *deciſ. 239. in fin.* Varias Declarationes & Limitationes vide apud Anton. Gabriel. *dict. Concluſ. 2. n. 43. & ſeq.*

CAP.

CAPUT V.

De Principe Imperii aſſerente aut ſcribente aliquid in Iudicialibus, ſcilicet tanquam Actor, Accuſator. Aut ſi tanquam teſtis aliquid deponat, quatenus fidem mereatur.

SUMMARIA.

I. *Hactenus dicta non procedunt in judicialibus, ſed requiritur jusjurandum & numerus teſtium.*

II. *Nulli teſti ſoli & absque juramento plenariè creditur, quod etiam in Principe valet.*

III. *Proponitur Objectio deſumpta à præſumptione juſtitiæ Principis, eaque illuſtratur exemplo Xenocratis & teſtimoniis.*

IV. *Solvitur Objectio, negando, quod hæc procedant in judicialibus, & probatur 1. ex lege Divina.*

V. *Probatur 2. ex Jure Civili. 3. ex Jure Canonico.*

VI. *Probatur 4. ex conſenſu Gentium ex Cicerone & duobus Exemplis.*

VII. *Allegatur Cicero hanc quæſtionem decidens, & teſtimonium Baldi.*

VIII. *Q. An Principis aſſertioni in Criminalibus credatur? Neg. ex omni Jure.*

IX. *Et confirmatur exemplo Romanorum, Parlamenti Pariſienſis, & Pauli III. Pontificis Maximi.*

X. *Extenditur hoc modo reſoluta quæſtio 1. ad caſum rebellionis.*

XI. *Extenditur 2. ad aſſertionem Principis de culpa Vaſalli, feudo privandi.*

XII. *Aſſeritur; credendum eſſe Principi, aſſerenti, machinationem contra ſe factam eſſe; atque in eam inquirendum.*

I. CÆterum ea quæ usque huc dicta ſunt, præcipuè

puè de extrajudiciali affirmatione Principis aliusve Perſonæ illuſtris Imperii accipienda ſunt. Quod autem *Judicialia* & quæ in *Judiciis* verſantur, attinet, aliter ſeſe res habet. Neque enim in judicio cuiquam de ſe, devè ſuo facto, vel de alieno affirmanti, citra alias probationes creditur: neque in teſtimonii dictione, aut unius hominis aut injurati dicto, cujuscunque dignitatis prærogativa aut præclaræ Curiæ honore ille præfulgeat, ſatis fidei, ſine aliis adminiculis ad condemnationem adhibetur. Ac is eſt verus ſenſus reſcripti *Conſtantini* Imperatoris *in l. jusjurandi. 9. in fin. Cod. de teſtib.* Tota ſiquidem ſubſtantia & fides teſtimonii in rebus legitimè definiendis conſiſtit in jurejurando & numero teſtium. *cap. quoties. cap. licet. & 2. §. 2. X. de teſtib.*

II. Quo fit, ut nulli teſti, quantumcunque religioſo, quantumcunque legali & veriſimilia deponenti, ſoli & absque juramento plena fides conferatur. *per cap. tuis quæſtionib. cap. nuper nobis. X. de teſtib. cap. fin. X. de jurejur. l. 20. D. de quæſt.* Campeg. *de teſtib. regul. 169. & 193.* Farinac. *de teſtib. quæſt. 74. num. 31. & quæſt. 63. per tot.* Decian. *conſil. 51. num. 9. lib. 2.* Marq. Freher. *de exiſtimat. lib. 2. cap. 4. num. 11.* Auguſtin. Barboſa *ad l. jusjurandi. 9. n. 3. & 4.* Ubi infinitos allegat. Præſertim cum Princeps, Actoris aut Accuſatoris vel teſtis perſonam agens, non Principis ſed privati perſonam ſuſtineat, & ad plenam in judicio obtinendam fidem, debita juris ſolennia præſtare teneatur. Quo faciunt tradita Joan. Coraſii. *lib. 3. miſcellan. cap. 7.* Rein. Bachov. *ad Tr. vol. 2. diſput. 5. th. 7. lit. A.* Diodor. Tulden. *in C. de teſtib. n. 3.*

Ob. III. Nec movet *in contrarium*, ea quorundam aſ-

ſertio,

ſertio, qui dicunt: Principem propter dignitatis ſuæ lucem, juſtitiæ plenum præſumi, & omnia prout convenit, deliberatè aſſerere & ſcribere: Ideò non eſſe dubitandum quin verum dicat, *arg. l. un. D. de officio Præfect. prætor.* Quæ ratio efficit, ut *noſtri ævi DD.* dicant, Principis aſſertioni planè credendum eſſe, non ſolum Imperatoris vel Regis, ſed etiam cujuslibet alterius jura Imperii in ſuo territorio habentis. Farinac. *de teſtib. quæſt. 63. num. 87. & 88.* Et hoc ante eum Arin. Cravetta *de antiquit. tempor. part. 1. ſect. propoſitum. num. 3. & ſeqq.*

Compertum quoque eſt, quod olim Sanctitati & ſinceritati *Xenocratis*, tantum apud *Athenienſes* tributum fuerit, ut cum aliquando teſtimonium dicere coactus, ad aram jurandi cauſa acceſſiſſet, univerſi conſurrexerint Judices, & ne juramentum daret, proclamarint. Beſold. *de Majeſtat. cap. 9. num. 4.* Proinde incivile eſſe videtur, ne injurati Principis & quidem ſolius & unici dicto fides adhibeatur, ac conſequenter ut ejusdem rectitudo judicii ac dignitatis ſplendor in dubium vocetur. Qui dicuntur optimi & ſanctiſſimi. *arg. l. inter claras. C. de ſumma Trinit. l. fin. C. de legibus. l. 2. C. de crim. ſacrileg.* Hartm. Piſtor. *lib. 4. quæſt. 7. in conſil. annexo fol. m. 270.* Cum grave ſit Principem mendacio arguere. Menoch. *conſil. 100. num. 23. lib. 1.* Ita tradit quoque Speculator *in tit. de Iudice delegat. §. supereſt. verſ. quod ſi non eſt.* Quo loco ſcribit, quod quiſpiam in cauſa ſua aut ſuorum teſtis aut Judex eſſe poſſit, ſi ejus ſit qualitatis, ut veriſimiliter in eum non cadat ſuſpicio mendacii. *per l. non omnes. §. à barbaris. D. de re militar.* Ubi reſpondet JureConſultus ſtandum eſſe ejusdem militis dicto, qui bonus ante æſtimatus fuit, ſi ſe evaſiſſe, non transfugiſſe dicat. Alexander. *in l. qui juriſdictioni. D. de*

juriſdict. Riminald. *in l. 2. notabil. fin. C. d. edendo.* Nellus *de teſtib. num. 85. caſ. 17.* Gabriel. *Comm. concluſ. 1. de teſtib. num. 43. & 44.* Maſcard. *de probat. in præfat. quæſt. 11. n. 20.*

R. IV. *Reſpondetur* enim ad ea hucusque allata, quod procedant in cauſis extrajudicialiter agitatis, vel ubi pars adverſa, unius præclari & illuſtris Viri teſtimonium pro ſufficienti probatione ultrò admittit. Aliàs & quoad cauſas judicialiter motas ſecus dicendum eſt. latè Marquard. Freher. *de exiſtimatione. lib. 2. cap. 6. num. 29.* Nam quod unius etiam præclaræ Curiæ honore refulgentis teſtimonio indijudicandis cauſis, etiam Civilibus non credatur, *jure Divino, Gentili, Civili & Canonico* introductum, conſtitutum ac moribus receptum eſt. *Lex Divina* ita probavit duorum teſtimonium, ut veluti iniquum judicet regulariter, unius teſtimonio quempiam condemnari. Deuteronom. *17. verſ. 6. ac cap. 19. verſ. 15. Num. 35. verſ. 30.* Ubi Lex Dei jubet, quod ne quidem unus teſtis ſurgere ad teſtandum debeat. Ac ipſe Salvator noſter, omne verbum in ore duorum aut trium vult conſiſtere. Matth. *18. verſ. 16.* Joan. *8. verſ. 17. 2.* ad Corinth. *13. verſ. 1.* Cyprian. *lib. 4. epiſtol. 9.* ad Florent. Petr. Domin. de Magdalen. *tr. de teſtib. teſtam. cap. 1. num. 13. & 28.* Jan. Langlæ. *in Semeſtr. lib. 3. c. 1.*

V. *Jus Civile* quod attinet, optimè & perſpicuè reſcripſit Conſtantinus Imperator; Quod unius omnino teſtis reſponſio non audiatur, etiamſi præclaræ Curiæ honore refulgeat. *in l. jusjurandi 9. §. 1.* Ubi Auguſt. Barboſa. *C. de teſtib. l. maritus. 20. D. de quæſtion.* Adeò ut nec dignitas, nec exiſtimatio, vitæque alicujus integritas, ad firmandum unius teſtimonium quicquam ef-

ficere

ficere poſſit, quacunque dignitate quis polleat, aut vitæ ſanctimonia præcellat. Colleg. Jur. Argentor. *lib. 22. tit. 5. de teſtib. num. 24.* Jan. Langlæ *dict. libr. 3. cap. 1.*

Quod *jure Canonico* & Patrum ſcriptis toties quoties repetitur, *præſertim verò in cap. fin. cauſ. 35. quæſt. 6. & cap. juſtificat. cauſ. 33. quæſt. 5. Cap. quoniam 23. X. de teſtib.* Ubi Auguſtin. Barboſa & Canoniſtæ.

VI. *Gentium leges & mores* quod attinet; More Majorum comparatum eſſe, ſcribit *Cicero* in Oratione pro Sexto Roſcio Amerino, ut in minimis rebus, homines ampliſſimi teſtimonium de ſua re non dicerent. *Africanus*, qui ſuo cognomine declarat, tertiam partem Orbis terrarum ſe ſubegiſſe: Tamen ſi ſua res ageretur, teſtimonium non diceret, nam illud in talem virum non audeo dicere; ſi diceret non crederetur. Nam cum res mali exempli ſit, uni teſti credi, Viri egregii hanc dignationem deprecantur ultro; Sicuti de *Q. Scævola* narrat *Valerius Maximus*, qui cum Vir excellentiſſimus, teſtis in reum productus, teſtimonium dixiſſet, diſcedens adjecit: Ita ſibi credi oportere, ſi & alii idem aſſeveraſſent; Quoniam unius teſtimonio credere res peſſimi eſſet exempli. Valer. Max. *lib. 4. cap. 1. Ac lib. 8. c. 5.*

VII. Et hanc quæſtionem optimè decidit *M. T. Cicero* in Oratione pro M. Fonteio hiſce verbis: *Ecquem hominem videmus, ecquem verè commemorare poſſumus, parem conſilio, gravitate, conſtantia, cæteriſque virtutibus, honoris, ingenii, rerum geſtarum ornamentis, Marco Æmilio Scauro fuiſſe? tamen hujus, cujus injurati nutu propè terrarum Orbis regebatur: Jurati teſtimonio neque in C. Fimbriam neque in L. Memmium creditum eſt. Noluerunt ij qui judicabant, viam*

 hanc

Digitized by Google

hanc patere inimicitiis, quem quisque odiſſet, ut eum teſtimonio poſſet tollere. Quantus in L. Craſſo pudor fuerit, quod ingenium, quanta authoritas, quis ignorat? Tamen is, cujus etiam ſermo teſtimonii authoritatem habebat, teſtimonio ipſo, quæ in M. Marcellum inimico animo dixit, probare non potuit. Huc facit id quod *Baldus* ſcripſit: Quod ſi quis dicat ſe appellaſſe, vel Procuratorem eſſe ad petendos Apoſtolos, ei non creditur, licet ſit Vir præclaræ famæ, niſi id legitimè probaverit. Bald. *in cap. cum contingat. X. d. reſcriptis.* Quod etiam generaliter in omnibus proceſſus articulis ſervandum eſt: multò magis in cauſa principali, dum Actor quantumvis illuſtris, non niſi ab omni parte benè inſtructús ad agendum proſilire debet. *l. qui in alterius. 42. D. de Reg. Iur.* Marq. Freher. *de exiſtimat. libr. 2. cap. 6. num. 29.* Ita ſcribit Farinac. *dict. quæſt. 63. num. 4. & ſeqq.* Cravetta *de antiquit. tempor. part. 1. ſect. propoſ. n. 3. & ſeq.* Joan. Coraſ. *lib. 3. miſcellan. cap. 7.* Coll. Jur. Argentor. *lib. 22. tit. 5. theſ. 14. per tot.* Bachov. 2. ad Treutler. *diſput. 5. theſ. 7. lit. A.* Beſold. *de Majeſtat. cap. 9. n. 4. per tot.* Joan. Langlæ. *lib. 3. Semeſtr. cap. 1.*

VIII. Ex quibus deductis facile reſolvitur hoc dubium: *An Principi referenti maleficium de Sempronio credatur, ejusque aſſertioni in criminalibus fides adhibeatur?* Sanè nec Principi injurato, nec uni, ſi ſit teſtis, in facto alieno credendum eſſe præſertim in Criminalibus, ego interrogatus reſponderem. Quoniam in ore eſt omnium; Dictum unius, dictum nullius, etiamſi præclaræ honore Curiæ præfulgeat. *l. jusjurandum. 9. cum l. ſeq. §. 1. Cod. de teſtib. cap. licet univerſis. cap. veniens. X. de teſtib.* Idque non ſolum jure Civili & Canonico, ſed etiam de jure Divino procedit. *Deut. 17. verſ. 6. & cap.*

19.

19. 15. Matth. 16. 18. 2. Corinth. 1. 13. Ioh. 8. 17. Hebr. 10. 28.

Quoniam nec Evangelium nec ulla divina vel humana lex unius teſtimonio, etiam idoneo quempiam condemnat vel juſtificat. *ſecund. Can. admonere. cauſ. 33. quæſt. 5.* Cævall. *comm. opin. quæſt. 494. n. 1.* Petr. de Magdalen. *tr. de numer. teſt. in teſtam. part. 1. cap. 1. num. 34. & ſeqq.* Maſcard. *de probat. in præfat. lib. 1. quæſt. 5. num. 117.* Nicol. Everhard. *de teſtib. part. 6. principal. cap. 3. num. 14.* Auguſt. Barboſa *ad l. jusjurand. 8. num. 4. C. de teſtib.* Ita *Azo* conſultus *à Præſide Bononiæ*, qui ſine teſte cædem admitti viderat, reſpondiſſe dicitur: Si res geſta non niſi Principi aut Magiſtratui cognita eſt, Teſtem quidem agere utrique licere, Judicem non licere. Joan. Bodin. *de Republ. libr. 6. ſub. num. 757.* Quod adeò quidem verum eſt, ut nec Statuto vel conſuetudine, nec etiam à Principe vel Papa conſtitui poſſit, ut unico teſti plena fides habeatur. Farinac. *de teſtib. quæſt. 63. num. 8. & ſeqq.* Quod latè examinat Rodolphin. *tr. de abſolut. poteſt. cap. 6. num. 24.* Ita contra Ducem Mediolanenſem reſpondit cum Baldo Bened. de Platis. *conſil. 5. inter conſil. cum diverſ. tom. 2.* Aldovin. *conſil. 26. num. 38.* Tiraquell. *de reb. exiguis in Princ. verſ. ſecunda ratio.* Quamvis aliter ſentiat Petr. Domin. Magdalen. *de teſtib. teſtam. cap. 1. num. 38.* Et hoc eò magis verum eſt, ſi verſaremur in rebus arduis ac in criminalibus, ubi de pœna corporis afflictiva agitur. Scœccia *de judiciis cauſ. civil. lib. 2. cap. 9. dubit. 9. num. 432. & 438.* Auguſt. Barboſ. *ad cap. in omni. 4. num. 3. X. de teſtib.*

IX. Quod inſigne illud Romanorum judicium confirmat. Nam cum *M. Æmilius Scaurus* (quem Principem Civitatis & Senatus fuiſſe ex Cicerone conſtat

lib. 2.

lib. 2. de Oratore) *Cajum Fimbriam* repetundarum Reum, ſuo teſtimonio opprimere conaretur, eademque lege *L. Memmium* diſtricto teſtimonio inſecutus eſſet, ſibi tamen creditum non fuit. Cicero *in Orat. pro Fonteio.*

Hoc exemplum ſi imitari nolit Princeps, veſtigia *Parlamenti Pariſienſis* ſequi debet bonus quilibet Senatus. Cum enim Galliarum Rex *Henricus II.* hominem quendam Italum damnari juſſiſſet, quod eum in crimine capitali notorio deprehendiſſet; Nec tamen nomen & Circumſtantias Criminis pervulgari vellet; Tunc Judices Pariſienſes Regi per Colonellum, Prætorem Curiæ cum tribus Aſſeſſoribus reſponderunt: *Se juratos eſſe, niſi ſceleris convictum damnaturos neminem.* Ac quamvis hac Reſponſione Rex valdè commoveretur, Judices tamen Pariſienſes flectere non potuit. Rationes pro Parlamento Pariſienſi, habes apud Farinac. *de teſtib. quæſt. 63. n. 129.* Pari ratione iniquè feciſſe judicatus eſt Paulus III. Pontifex Maximus, quod hominem damnari juſſiſſet, quia ſibi adhuc Cardinali parricidium admiſiſſe confeſſus eſt; Quod tamen Reus conſtanter negabat. Quæ Exempla refert. Bodin. *de Republ. lib. 6. cap. final. n. 757.* Ita tradit in terminis noſtris Farinac. *de teſtib. quæſt. 63. c. 3. n. 174. & ſeqq.* Thomas Grammat. *deciſ. 105. num. 1. & ſeq.* Ubi latè hoc deducit Menoch. *conſil. 100. num. 21.* Bened. de Plotis *inter conſil. Zilleti conſil. 5. per tot. vol. 2.* Merckelbach. apud Klock. *conſil. 25. num. 2. vol. 1.* Quod latè deducit Beſold. *tr. de Majeſt. cap. 9. n. 4.* Tileman. *diſput. ad Pandect. part. 2. diſput. 3. theſ. 37.* Cardinal. Lug. *de Principe aut Rege abſoluto loquens. tr. de juſt. & jur. tom. 2. diſput. 37. ſect. 5. num. 52.* Quamvis diſſentiat *Jul. Clarus* in terminis, quo Princeps aſſerit aliquid de eo quod ipſe viderit. *dict. quæſt. 53. ſub. num. 21.* Quod latè

latè authoritatibus firmat Franciſc. Vivus *Comm. opinion. 636. num. 1.* Nicol. de Paſſerib. *de ſcriptur. privat. libr. 3. Rubr. Literæ* Apoſtol. *quæſt. 3. num. 15. fol. 590.* Qui ſolummodo crimen rebellionis excipit *ſub num. 16.* latius poſt Hurtadum & alios, Antonin. Diana *reſolut. moral. tom. 10. tr. 15. Reſolut. 34. per tot.* Ubi defendit, quod Rex poſſit ex privata ſcientia occidere Reginam & ſimul Adulterum.

X. Hæc negativè reſoluta quæſtio *extenditur*, ac eo magis vera aſſeritur, eo in caſu quando Princeps dicat aut literis notificet Sejum aut Titium eſſe rebellem, aut commiſiſſe crimen læſæ majeſtatis, vel aliquod aliud atrox delictum, proinde ejusdem bona jure publicanda eſſe. Quæ aſſertio Principis etiamſi ſigillo roboretur, plenam fidem non meretur, cui ſubditi vix parere debent: ſecundum ea quæ latius tradit in hiſce terminis poſt Felin. *in cap. qua in Eccleſiarum. X. de conſtit.* Maſcard. *dict. tract. concluſ. 1227. num. 106.* Thom. Grammat. *deciſ. 105. n. 2. & per tot. ubi ſub num. 1. & 2. tradit*: Idem eſſe, etiamſi in Reſcripto clauſulæ, motu proprio & ex certa ſcientia inſerantur. *Ac deciſ. 65. num. 6. ac deciſ. 15. num. 10.* Hinc optimè & deciſivè in hiſce terminis tradit *Antonius Faber* Præſes acutiſſimus & æquiſſimus: *Non creditur Principi narranti Rebellem eum fuiſſe, de cujus rebellione aliunde non apparet; Quamvis alioquin ſoleant verba Principis enunciativa fidem facere etiam inter alias partes; Attamen hoc in gravioribus criminibus non procedit. Ne ſcilicet in poteſtate ſit Principis ex aliorum plerunque perfidorum & calumniantium fide ita referentis, bona, exiſtimationem, vitam denique ei eripere, qui veritate facti diligentius indagata Rebellis probari non poſſit. Ne alioquin injuriarum occaſio inde naſcatur, unde jura naſcuntur. vulg. l. meminerint. C. Unde vi.* Ita Anton. Faber.

ber. *in Codice Fabr. lib. 4. tit. 14. Definit. 67.* Et hoc modo ſcribunt Andr. de Iſernia *in cap. 1. in fin. de controv. feud. int. partes. Afflictus deciſ. 14. num. 6.* Latè in terminis Benedict. de Plotis apud Zilletum *conſ. crim. 6. per tot. vol. 2. Ubi ſub num. 9.* adjungit ac *Duci Galeacio Mediolanenſi* interrogatus reſpondit, tale ſtatutum, ſi promulgaretur non eſſet inventio vel Donum *Dei ſed Diaboli.* Quamvis diſſentiat Petr. Paul. Pariſius, poſtea Cardinalis *conſ. 1. num. 41. & ſeqq. vol. 1.*

XI. Ex eadem ratione *concluditur*, quod ſi Princeps afferat, Vaſallum culpam & feloniam commiſiſſe, propterea feudo privandum eſſe, vel ſi Princeps aut Comes per literas ſuas atteſtetur, quod Titius fuerit ejusdem proditor, ei nulla fides adhibeatur, tanquam in cauſa propria; ſed culpa iſta aliunde erit probanda, nec Vaſallus niſi prævia cauſæ cognitione per ſententiam feudo privari poteſt. Goza. *d. in conſ. 26. num. 41.* Grammat. *deciſ. 105. num 8. & ſeqq.* Burſat. *conſ. 128. n. 6.* Menoch. *conſil. 304. num. 28.* Poſt alios Garſia Maſtrill. *de Magiſtrat. lib. 3. cap. 4. num. 57. & ſeqq.* latè & optimè Tiber. Decian. *reſponſ. 23. num. 5. vol. 1. 5. 18. & ſeqq. vol. 1.* Matth. Coler. *conſil. 52. n. 109.* Idque per hanc rationem quam adfert *poſt Curtium, Petr. Anton. de Petra:* Quoniam aliàs per indirectum tolleretur defenſio partis, quæ eſt de jure naturali, quod non admittendum. Curt. Senior. *conſil. 20. num. 11.* Socin. *conſil. 87. num. 17. vol. 3.* Petr. Anton. de Petra. *de poteſt. Princip. cap. 32. concluſ. 2. num. 45. fol. m. 620.* Aurel. Corbul. *de jure Emphyteut. cap. 12. quæſt. 5.* Diſſentientes Authores refert Anton. Gabriel. *Comm. concl. lib. 1. tit. de probat. concl. 2. n. 30.*

XII. Cæterum, quamvis Principis aſſertioni *in* Crimi-

Criminalibus, ubi de præjudicio tertii agitur, fides non adhibeatur; Attamen ejusdem Relatio etiam in re propria indicium facit ad inquirendum; *Veluti* ſi Princeps ſuboleverit machinationem aliquam contra & in ſe factam officialibus hoc non animadvertentibus, adeò ut Reus ſeſe purgare neceſſe habeat. Bald. *in l. nullus.* Cod. *ad l. jul. Majeſt.* Cæpolla *conſ. 47. num. 48.* Franc. Marc. *part. 1. deciſ. 732.* Marc. Ant. Natta. *conſ. 138. num. 16.* Tiber. Decian. *reſponſ. 18. num. 44. vol. 1.* Eodem modo & ratione communiter receptum eſt, quod relatio Principis de ſe ipſo, veluti quia inſidias ſibi ſtrui ſenſerit, præbeat occaſionem inquirendi & procedendi contra Reum diffamatum. ſecundum Baldum *in dict. l. nullus C. ad l. jul. Majeſt.* Jul. Clar. *§. fin. quæſt. 53. ſub n. 21.* Hippolit. Bonacoſſa *in comm. opin. lit. I. verb. Inquiſitio.* Ubi de communi opinione teſtatur: Ac idem juris in Principibus Imperii obtinere aſſerit. Valent. Voltz. *tr. de inquiſit. in conſil. 1. n. 38.* Imò Principi aſſerenti quempiam de delicto diffamatum, credendum eſſe quoad indicia fundanda, non autem quoad probationem integram exinde eruendam. tradit Felin. *in cap. cum à nobis X. de teſtib.* Farin. *de teſtib. quæſt. 63. num. 182.* Crott. *de teſtib. part. n. 144.* Chriſt. Craſius *de indiciis part. 2. cap. 5. n. 84.*

CAPUT VI.

De Principum aliorumvè illuſtrium Imperii Statuum aſſertione ſub Fide Principali; Bey Fürſtlichen Gräfflichen Träw und Glauben.

SECTIO I.

SUMMARIA.

I. Aſſeritur: verbum ſeu fidem Principis æquipollere juramento: idque probatur.

II. Illuſtratur. 1. exemplo Regum Hiſpaniæ.

III. *Illuſtratur 2. exemplo Regum & Nobilium Galliæ, inſertis moderni Regis literis ad Gravellum.*

IV. *Illuſtratur 3. exemplo Regum Scotiæ, & in ſpecie Roberti II.*

V. *Declaratur 4. exemplo Ducum Moſcoviæ, Imperatorum Romano-Germ: in ſpecie, Henrici IV. & Caroli V. & aliorum.*

VI. *Illuſtratur 5. exemplo Nobilium Italiæ, fœminarum etiam, & inprimis duarum Dominarum Spinol.*

VII. *Concluditur, promiſſionem ſub fide principali, habere vim juramenti.*

VIII. *Id in dubium vocatur, & vocatum eſt in Camera Imperiali.*

IX. *Affirmativa proponitur ac probatur 1. ex robore & efficacia verborum Principis.*

X. *Probatur 2. ex antiqua fidei Germanicæ gloria, quæ oſtenditur ex Hiſtoria Romana.*

XI. *Fidei & candoris prærogativa Germanis tribuitur.*

XII. *Probatur 3. ex ſplendore dignitatis Principalis.*

XIII. *Probatur 4. ex praxi Cameræ Imperialis.*

XIV. *Probatur 5. ex notoria Germaniæ conſuetudine.*

XV. *Oſtenditur 6. ex conſuetudine & teſtimonio Principum & JureConſultorum extra Germaniam.*

I. Quod jam olim *Iſocrates* Regem ſuum monuit; ut perpetuò in id ſtudium incumbat, eamque reverentiam præ ſe ferat, ut verbis ſuis major ſit Fides quam aliorum juramentis Iſocrat. *ad Nicoclem. Orat. 2.* Id *Alphonſus* prudens Arragoniæ & Neapolitanorum Rex ſuo tempore repetiit, dum dicere ſolebat: *Principis verbum tantum valere debere, quantum privati juramentum.* Joan. Boter. *nei detti. libr. 1. tit. Paroleli Principi. fol. 24.* Ab antiquo enim tempore uſu invaluit, ut Princi-

pum

pum ac Regum abſolutorum fides regalis Juramento realiter præſtito æquipolleret. Nam Principes abſoluti, cum nullum Jus civile habeant vel agnoſcant, quod eos ligat, ideò juris naturalis vinculo aſtringuntur. At verò de jure naturali affirmatio ſimplex, par eſſe reputatur juratæ aſſertioni: ſecundum Matth. *cap. 5. verſ. 34. & 37.* & Jacob. *cap. 5. verſ. 12.* Præſertim & eo magis, ſi data fides à perſona publica proceſſerit, quam meritò fidem publicam vocamus, ſub qua nemo ne quidem à Rege decipi debet, per text. Reſcrip. tum Imperatorum Honorii & Theod. *in l. geſta. 6. C. de re judicata.* Frider. Pruckman. *de abſolut. poteſt. c. 3. per tot.* Petr. Anton. à Petra *eod. tract.* Joan. Baptiſt. Larrea *allegat. fiſcal. 119. num. 24.* Nam ſi fides & verborum regiorum vis & robur non eſſet, cum Principibus, utpote à legibus & judiciis liberis, tractare nemo poſſet, ſicuti optima ratione dicere ſolebat Franciſcus I. Galliarum Rex. Beſold. *de fœderib. cap. 6. num. 5.*

II. Unde provenit abſque dubio, ut Contractus, promiſſiones & aſſertiones Principum & Regum abſolutorum ſub *verbo Regio* bey Königlichen Worten / jam olim pro contractu vel promiſſione jurata habitæ & æſtimatæ fuerint, ac ſi reali juramento confirmatæ eſſent. In *Hiſpaniæ Regnis* uſu invaluit, ejuſdem initio neſcio quo, & immemoriali, ut ſi in conceſſione vel aſſertione Regià, hanc Clauſulam adjiciat Hiſpaniæ Rex: *Lo aſſeguramos, per nueſtra fee y palabra Real*; eâ vim habeat Juramenti realiter præſtiti. Nicol. Moron. *de treug. & pace verſ. Et mihi. verbo, Principis.* Joan. Petr. Surd. *deciſ. 119. num. 20. & deciſ. 234. n. 9. & 10.* Ac quod prædicta verba: *Per nueſtra fee, y palabra real*, ſint inſtar juramenti,

Google

irrevocabilia tradit Burſat. *conſil. 78. num. 19. vol. 1.* Bertrand. *conſil. 262. num. 5. vol. 7.* Bobadilla in Politica *lib. 2. cap. 17. num. 52. in Gloſ. lit. C.* Ubi multis probat tantam eſſe vim verbi Regii, quantam juramenti, adeò ut ejusdem obſervantia & relaxatio ad Judicem Eccleſiaſticum pertineat, qui in hac cauſa cognoſcere debeat, Joan. Bapt. Larrea *dict. allegat. fiſcal. 119. num. 12.* Unde provenit ſine dubio proverbium Hiſpanicum; *Palabra de Reg por un gran ſagramento.* Beſold. *de fæder. cap. 6. n. 5.*

III. *Galliæ Regem* cunctos ſuos tractatus & promiſſiones (excepto unico inaugurationis actu) nunquam juramento firmare, ſed ſola verbi Regii firmitate tanquam jurato verbo inniti, tradit Louys d' Orleans *aux Ouvertures des Parlaments. cap. 4.* Et hanc ſub fide Regis aut Principis aſſerendi formam, Galliæ Reges hodie adhucdum obſervant, ac eâ pro conteſtatione jurata utuntur. Nam cum præterito anno, moderno Galliarum *Regi Ludovico XIV.* à quibusdam Malevolis objectum fuerat, quod ad extendendum imperium præcipua tam Italiæ & Africæ, quàm Burgundiæ & Belgii loca variis technis ac vel *vi* vel *clam* vel *precario* occupare intenderet, prædictus Rex valde querelabundus, hanc imputationem falſam eſſe, ſub fide Principis aſſeruit. Ita namque hac de re ad Robertum Gravellum Legatum ſuum Francofurti ſubſiſtentem 3 Febr. Anno 1663. perſcripſit: *Je ſuis bien faſché de voir les attaques, que mes Envieux me font, ou pour ternir ma gloire, ou pour taſcher de rendre ma conduite ſuſpecte. Ie vois d' un coſté, que pour troubler le repos public, ils ſement le bruit, que je veux aſſieger* Geneve; *à quoy je n' ay jamais ſongè. Que ſur l' acquiſition que i' ay fait de* Dunquerke, *ils prennent occaſion de reprendre*

dens le Monde que je veux auoir par les meſme moyen tantoſt Tanger, *tantoſt* Cazal: *Voire tout* le Montferrat: *aujourd' huy les biens* du Prince d' Orange, *dans la Franche Conté: demain* Maſtrick, *traittant de ſa vente auec les Eſtats. Une autre fois la Cittadelle* de Parme. *Et de tout cela vous pouuez dire aux* Electeurs & Princes *mes alliez*, que je les aſſeure en foy de Prince, *qu' il n' y a aucune circonſtance, qui ayt le moindre fondement de la verité*. Hæc ille. Quod ſi contigerit, teſtari Regem oportere in aliquo arduo & ingenti negotio, ſimplex ab eo & ab injurato teſtimonium dicitur & recipitur, teſte Mornac. *ad l. 2. §. ult. C. de reb. credit.* Dn. Limnæ. *in notit. Regn. Franc. lib. 2. cap. 7. lit. K. & L.* Aliud tamen eſſe in cauſis criminalibus *ſupra c. 5. num. 13.* deductum eſt. Quamvis de Gallis aliàs vetus proverbium ſit: *Gallos ab antiquo Leves*, quod à *Cæſare* ſcriptum, á *Tacito & Trebellio* confirmatum; Eisque levitatis & perfidiæ notam jam olim aſperſit Flor. *lib. 3. hiſtor. cap. 10.* Præſertim verò Salvianus *de gubernat. Dei. num. 123. Si pejeret* (inquit) *Francus, quid novi faceret? qui perjurium ipſum, ſermonis genus eſſe putat, non criminis*. Attamen aliter apud eos, qui illuſtrioris proſapiæ ſunt, res ſe habet, adeò ut Fides etiam nudè data à Nobilibus *par la foy de Gentil homme*, conſtantiſſime ſervetur, ac vix quicquam ſanctius habeatur, quam promiſſum ſub fide Nobilitatis. Tiraquell. *de Nobilit. cap 20. num. 23. & ſeq.* Heinr. Breulæ. *de renunciat. ſucceſſ. cauſa. 3. cap. 7. n. 11.* Adeò ut ibidem mendacii exprobratio vix aliter quam gladio vindicetur. Les Recherches *de France. lib. 1. diſc. 2.* Beſold. *de fœder. cap. 6. num. 5.* Veruntamen haud multo temporis interjecto, cum Galli viderent, Nos *Germanos*, cuncta amicè, ſincerè & candidè ſtipulata manu peragere, pertæſi prioris phraſis, ab illa forma re-

ceſſe-

Digitized by Google

ceſſerunt, aliamque formulam ſanctè aliquid promittendi, ſub fide Germanica, *par Foy d' allemaigne* receperunt. Breulæ. *dict. cap. 7. num. 12.*

IV. Eadem veneratio in Scotiæ Regno, verbo regio à Statib. Regni attribuitur; Quamvis enim illic de promiſſis & Statutis Regni obſervandis, Pro-Rex ac Status Regni juramento ſeſe obligare teneantur, idque in omnibus Conventibus publicis ſeu Parlamentis quotiescunque aliquid novi ſtatuitur, præſtandum ſit: ſola tamen regia Majeſtas, ob præſumptam fidei ſanctitatem excipitur; Cujus obligatio ſub verbo Regio ſufficiens exiſtit. Ita namque in Comitiis à Rege Roberto II. Anno 1371. celebratis conventum eſt hiſce verbis: *Ad hæc omnia & ſingula ſervanda fideliter & plenariè adimplenda, Rex in ſuo Conſilio, quantum ad ipſum pertinet, ſe in verbo Regio obligavit.* apud Joan. Skenæum *in Conſtitut. Regn. Scotiæ.* Tit. Statuta Roberti II. *cap. 17. §. 1.*

V. In Moſcovia Magnus Dux ſeu Czar, promiſſionem ſuam crucis oſculo corroborare ſolet, quod juramenti validitatem habere tradit Jacob. Danus *in Hodœpor. Ruthenico.* Eadem, imò majori præeminentia merito gaudent Imperatores Rom. Germanici, tanquam fons & principium omnium dignitatum; & de cujus throni fulgore velut ex ſole radii, cæteræ prodeunt dignitates, ſecundum elogium Friderici II. Imp. apud Petr. de vineis. *lib. 6 epiſtol. 26.* Quod exemplo Imperatoris Henrici IV. illuſtrari poteſt. Oborta enim controverſià in inſigni Moguntiæ celebrato Imperii conventu de ſeſſionis prærogativa inter Archi-Epiſcopum Colonienſem & Abbatem Fuldenſem, ac

præ-

prædictus Imperator quaſi in partes Abbatis inclinans inſimulabatur: Qui ab hac inculpatione ſe juramento purgare contendens: Quandoquidem (inquit) *à Te Archiepiſcopo inſimulamur de occulta cum Abbate hujus rei machinatione, parati ſumus juramentum præſtare, Nos ejus culpa non eſſe affines.* Et cum jurare paratus videretur, exceperat Archi-Epiſcopus: *Verba* (inquit) *Cæſarea majeſtatis mihi pro juramento ſunt*; Ac ita Archi-Epiſcopus cauſam obtinuit, teſte Alberto Cranz. *in Saxon. lib. 6. cap. 46.* De *Carolo V.* ſummi animi Imperatore referunt quoque Hiſtorici, qui cum aliquid affirmaret, id ſe fide nobilis & equeſtris Viri affirmare ajebat, teſte Franciſc. Mennenio *in delic. equeſtr. ordin. cap. 1. pag. 21.* Ac de Imperatore in generalibus terminis ſcripſit B. Lutherus: Man ſoll dem Kayſer auff ſein bloſſes Wort / auch ohne Aydſchwur glauben. Theodor. Thumm. *de jurament. fol. 106.*

Ad Exemplum & imitationem Imperatoris R. G. aliorumque Regum abſolutorum, alii quoque Principes & Illuſtres tam in Imperio quam extra Imperium vigore autocraticæ poteſtatis, eodem dignitatis fulgore præcellunt, eorumque verba ſub fide dignitatis prolata vim Juramenti obtinent.

VI. In Italia quoque inter illuſtres ac generoſæ dignitatis perſonas tam maſculos quam fœminas, juris & moris eſt, ut eorum promiſſa, renunciationes vel ratificationes, ſub verbis innatæ dignitatis emanatæ, æque ac ſi reali juramento corroboratæ fuiſſent, obligent; Ac verba Fœminarum illuſtrium, *in Parola di dame do honore*, pro juramento habentur. Ita in cauſa feudi Imperialis Dynaſtiæ Vergagni, in Liguria ſitæ, Domina Julia Malaſpina Spinola & Domina Lucretia

Spinola, compromiſſum à Dominis Commiſſariis & Arbitris laudatum, hac formula ratificaverunt: *Noi infra ſcritte ratifichiamo la ſopra detto Compromeſſo; & ci obblighiamo* in parole di Dame d' honore in tatto, *come ſopra; fermando queſto di noſtra propria mano; in Vergagni. li 28. Marzo, 1653.* Sicuti patet ex deductione Juris & Facti, in Judicio Reviſorio S. Cæſ. Majeſtati Leopoldo I. Anno 1663. *à Dn. Marchione Andrea Spinola* oblata, & à prædicto Domino *Marchione amico & fautore meo* nuperrime Vienna Stutgardiam transmiſſa.

VII. Et hoc ex innato Germanorum candore à tempore antiquiſſimo invaluit; Unde haud dubiè vetuſtiſſima promanavit Regula in Imperio Rom: Germanico uſitatiſſima & communiter practicata: *Quod Promiſſio ſub fide Principali ſit loco juramenti*: Ac Clauſula à Principe aut Comite vel Barone Imperii, bey meinem Fürſtl./ Gräfflichen/ Freyherrlichen Trawen und Glauben/ prolata aut Inſtrumentis inſerta vim juramenti habeat, & pro juramento æſtimetur. De quo latius Jonas Weidenkopſt, apud Joan. Bapt. Cæſar. *in conſil. illuſtr. 32. num. 14. cum. conſil. ſeq. n. 13. lib. 1.* Andr. Gail. *libr. 2. Obſerv. 59. per tot.* Georg. Barſchamp. *de clauſul cap. 31. §. 2. num. 31. & ſeqq.* Beſold. *in Theſaur. Pract. lit. T. verbo* Traw und Glauben. *36.* Unde quotidie practicatur in Imperio Rom: Germanico, daß wo ein Fürſt / Grave oder von Adel etwas zuſaget / oder ſich verſchreibet / bey ſeinem Fürſtl. Gräfflichen und Adelichen Ehren Traw und Glauben/ alles und jedes / ſo der Verſchreibung mit einverleibt/ ſtandveſt/ unverbrüchlich und wol zuhalten/ zuerfolgen/ und deme zugeleben: Er ſolches von Rechtswegen eben zuhalten ſchuldig/ als ob er ſolches mit einem leiblichen Ayd beſchwo-

ren hätte; bey Pœn deß Meinayds. Atteſtante Mynſinger. *1. Obſerv. 7.* ibique Arnold. de Reyger. Gail. *dict. Obſervat. 59. n. 2. & 6.* Matth. Coler. *in Proceß. executiv. part. 1. cap. 10. num. 289.* Joſ. Nolden. *de Nobilitat. cap. 12. num. 41. & 42.* Quod quatenus verum ſit, abſque ulla modificante declaratione, præſertim hoc noſtro ferreo ſeculo, in ambiguo eſt.

VIII. Hinc à Germaniæ Practicis diſputatur; *An Principis aut Comitis Imperii Promiſſio ſub fide & dignitate Principali, aut aſſertio* bey Fürſtlichen Ehren und Worten / *vim juramenti realiter præſtiti habeat, ac effectus juramenti inducat?* Quod dubium acriter diſputatum fuit *in Camera Imperiali* Anno *1543.* in cauſa compromiſſi Curatorum juniorum Marchionum Badenſium, contra Dominum Erneſtum Marchionem Badenſem. Ac communibus votis concluſum fuit, compromiſſum firmatum ſub fide & dignitate Principum, pro jurato habendum eſſe, quemadmodum teſtatur Mynſing. *cent. 1. obſerv. 17.*

IX. Quamvis enim variè diſceptetur: An promittens in fide ſua, bey ſeinem Traw und Glauben / jurare cenſeatur, ac juratio ad promiſſionem obliget, idque in Privatorum Contractibus negent plurimi, quos vide apud Nicol. Moron. *tr. de fide treuga & pace quæſt. 9. num. 5.* Surd. *deciſ. 234. num. 3.* qui hoc variè diſputat: Martin. Beneck. *ad Seraphin. de privileg. jurament. in præfat. num. 22.* Dn. Præcept. Læl. Mancin: *tract. de relaxat. juram. cap. 2. num. 12.* Et hoc latius deducat Auguſt. Barboſa *ad caput. Ex reſcripto 9. num. 2. & ſeqq. X. de jurejur.* Secus tamen eſſe in Principe aliavè Perſona in dignitate conſtituta ego cenſeo; Idque (1) per hanc rationem:

tionem: quoniam in jure verba Principis debent eſſe firmiſſima, firmiſſimumque robur habere, etiamſi jurata non ſint. *per caput. ad Apoſtol. 2. ubi Innocent. X. de re judicat. in 6.* Quo facit *cap. ad aures noſtras. 3. X. d. hu. quæ vi vel met. cauſ. ibi in verbis:* niſi juramento vel fide interpoſita. Ubi Auguſt. Barboſa. *num. 2.* Eſt quoque textus *in can juram. 12. cauſ. 22. q. 5.* Cum Principum verba propter firmitatem & dignitatis magnitudinem, pro factis habeantur. Hilliger *in Donell. Enucleat. lib. 24. cap. 13. lit. E. in notis.* Beſold. *de fœder. cap. 6. num. 5.* Ac veritas in ore Principis longè firmior & efficacior cenſeatur, quam in cæteris. *Bl. in cap. un. §. fin. qui feud. dare poſſint,* latius Jacob. Henrichmann *in Conſil. append. 2. num. 56.*

X. Præſertim verò (2.) de Principibus aliiſque Imperii R. Germanici Viris illuſtribus hoc dicendum eſt, propter innatum candorem, & antiquam fidei inviolatæ gloriam; Id quod Romæ jam olim in omnium Orbis univerſi ordinum conſeſſu, cum Romanorum ſtupore, Friſiorum Legati gloriati ſunt; *Nullos* (nempe) *mortalium armis aut fide ante Germanos eſſe*: apud Tacit. *lib. 14. Annal. c. 54.* Ac ipſe *Imperator Galba* Germanam gentem, multis experimentis fideliſſimam eſſe, ſuo elogio pronunciavit. Sueton. in Galba. *cap. 12.* Imperator quoque Maximinus, *potiſſimum fidei Germanorum confidebat, propter ſummam fidelitatem.* teſte Herodian. *in Maximino.* Juſt. Lipſ. *ad Tacit. lib. 14. cap. 50.* Thom. Lanſ. *in Conſultat. pro German. fol. m. 102.* latè Henr. Bebel. *Profeſſ. Tubingenſ. in tr. eleganti de Laudib. German. cap. 11. per tot.*

XI. Et hanc fidei exuberantis prærogativam Nobilitas Germaniæ meritò ſibi arrogat. Germaniæ enim Nobi-

Nobilitatis origo & decus, nulli Europæorum Nobilitati prorſus cedit, imò puritate & integritate fidei, potentia, fama, virtutum tum militarium tum politicarum ſtudio ad miraculum antecellit: Imo ſua antiquitate non ſolum cum Romana & etiam cum Græca Nobilitate certare poſſe probatiſſimis argumentis & monumentis ſatis ſuperque Orbi demonſtrat *Dn. Bucelinus;* Adeo ut tantorum Heroum Nobilium æmulos ſi Roma unquam habuit, ſecundi tantum fuêre, non primi, & longo ſæpè intervallo ſecundi Dn. & Amic. Bucelin. in hiſtorica antiquitate Germaniæ valdè peritus, *in oper. hiſtor. part. 1. parte 3. in Genealog. fol. m. 2. & ſeqq. ac pact. 2. parte 3. à princip.* Id quod graphicis verbis tradit Author Gallus: *La Nobleſſe des Princes d' Allemagne* (inquit) *eſt ſans doute la plus ancienne, & la plus entiere de l' Europe, non ſouillie de moindre ſang, ny d' alliences honteuſes,* Comme il arrive *en d' autres pays; Deſcendue pour la plus part de ces vieux Empereurs, qui ont mis par leur vertu l' honneur de l' Empire en leur maiſon.* Hoc eſt: *Nobilitas enim Germaniæ, ſine dubio & antiquiſſima & integerrima totius Europæ: Non inquinata minori ſanguine, neque connubiis pudendis, uti in aliis regionibus fieri aſſolet; deſcendens magnam partem de veteribus illis Imperatoribus, qui per ſuam virtutem, Imperii honorem in ſuam familiam introduxerunt.* Hæc conteſtatur Author Gallicus *in Diſcurſ. de l' Empire & des Princes & Eſtats d' Allemagne. fol. 63. num. 20.*

XII. Huc facit (3.) & hæc ratio, jam ab Imperatoribus Romanis eorumque Conſiliariis conſiderata, ut Virorum illuſtrium verba, ſtipulationes, aſſertiones, & promiſſiones ob ſplendorem dignitatis, majorem vim & arctiorem obligandi nexum, quam Privatorum habere

bere debeant, hoc enim conſideravit Aurelius Arcadius Chariſius *in l. un. D. de offic. præfect. prætor.* dum ſcribit: Credidit enim Princeps, eos qui ob ſingularem induſtriam, explorata eorum fide & gravitate ad ejus officii magnitudinem adhibentur, non aliter judicaturos eſſe pro ſapientia ac luce dignitatis ſuæ, quam ipſe foret judicaturus. Ac ipſa ratio dictitat, ut intermedium ſit inter privatam fortunam & regale culmen; Sicuti reſcribit Imperator Juſtinianus *in l. 3. C. de quadrienn. præſcript.* Non ergo abſurdum vel inconveniens, in promiſſis, Principum Imperii verba ſub fide principali, privatorum juramentis comparare & æquiparare. Qui non tantum Præfectis Prætorio æquiparantur, ſed eos multis paraſangis præcellunt. Herman. Stamm. *de Servit. perſon. lib. 3. cap. 10.* Benedict. Carpzov. *in Praxi crim. quæſt. 43. num. 10.*

XIII. Ac quod in Principibus & illuſtribus Viris promiſſio ſub fide dignitatis facta, omnino promiſſioni juratæ æquipolleat, quoad effectus, ac quoad incurrendam perjurii pœnam, (*de quo tamen infra aliter*) idque quotidie in Camera Imperiali practicari, tradit & præjudiciis confirmat Andr. Gail. *lib. 2. Obſerv. 59. n. 7.* Adrian. Gylman. *lib. 1. deciſ. Camer. 14. n. 31.* Meichſner. *tom. 1. deciſ. Camer. 2. num. 30. & 142. ac deciſ. 8. num. 10. & 25.* Otton. Melandr. *in Comment. ad Meürer. part. 2. fol. m. 454.* Quibus adſtipulantur Hieron. Schurpff. *Conſil. 37. num. 11. Cent. 2.* Coler. *in Proceſſ. Execut. lib. 1. cap. 10 num. 251.* Poſt plures alios quos ordine citat Vultejus *conſil. Marpurg. 34. num. 91. vol. 3.* Siatin. *conſil. Marp. 12. n. 113. vol. 2.* Gæddæus *conſil. Marpurg. 27. num. 176. vol. 1.* Ludolph. Schrader. *conſil. 1. num. 451. lib. 1.* Et pro hac aſ-

ſertione

Digitized by Google

ſertione reſpondit & conſuluit Matth. Weſenb. in terminis Comitis bey Gräfflichen Ehren/ *in conſil. 10. n. 43. lib. 1.* Schæffer. *quæſt. jur. 36. num. 7. & 11. libr. 1.* Jerem. Setſer. *de jurament. lib. 1. c. 16. num. 1. & ſeqq.* Barſchamp. *d. Clauſul. cap. 31. §. 2. num. 31. & ſeqq. ubi ſub. num. 95.* Infinitos authores allegat. Beſold. *in terminis Liberi Baronis* Imperii *conſil. 195. num. 34. & ſeqq.* Deciſiones autem *Judicij Cameræ Imperialis* (utpote quod Imperatoriam Majeſtatem totumque Imperium Romanum repræſentat) inſtar legis eſſe, & pro lege ſervandas eſſe; *arg. Text. in l. filius. 14. in princip. ibi:* ſic enim inveni Senatum cenſuiſſe, *D. ad l. Cornel. de falſ. l. 1. §. hoc autem.* ibi: ſic eſſe ſæpè judicatum. *D. ad l. Syllanian.* tradit ex Mynſingero Cameralem deciſionem adducens, Herm. Vultejus. *de feud. lib. 2. cap. 3. num. 9. in fine.* Andr. Knichen. *de veſtitur. part. 1. cap. 3. num. 304.* Bernh. Greven *in proœm. Concluſ. ad Gail. num. 26. & ſeqq.*

XIV. Præterea, quod ex notoria Germaniæ conſuetudine, Promiſſio ſub fide Principatus, Generoſitatis vel Nobilitatis, quoad vinculum contractus, pro juramento vero ac corporaliter præſtito habeatur, illud inter alios ſummæ experientiæ Viros aſſerit quoque Mynſing. *cent. 1. Obſerv. 17. num. 4.* Joan. Sichard. *in l. fin. Cod. de edict. divi Hadriani toll.* Claud. Cantiuncula *conſil. 22. n. 3.* Tilemann. *de Benign. deciſ. Camer. 14. n. 31. & 34.* Joachim à Beuſt. *in leg. 3. §. jurari. num. 14. D. de jurejur.* Erneſt. Cothman. *Reſponſ. 22. num. 9. lib. 4.* Barſchamp. *dict. cap. 31. §. 2. num. 34.* Nolden. *de nobilit. cap. 12. num. 41.* Qui ſcribit hoc etiam procedere, ſi Princeps promitteret ſub verbo veritatis & in mea conſcientia & fide. Quem ſequitur Rutger. Ruland. *de Commiſſ.*

ſar.

Digitized by Google

ſar. part. 2. lib. 2. cap. 11. num. 43. Moller. *ad conſtit. Saxon. 36. num. 11. & ſeq. part. 2.* Anton. Hering. *de fidejuſſ. c. 27. Part. 1. num. 298.*

XV. Et hanc aſſertionem utpote veriſſimam, etiam in aliis Principibus extra Germaniam degentibus obtinere tradit Gregor. *in allegat. jur. 33. num. 15.* Franciſc. Marc. *deciſ. 456. num. 55. part. 2.* Covar. *part. 1. Relect. §. 2. cap. quamvis de pactis in 6.* Nevizan. *conſ. 68. n. 49.* Nicol. Moron. *de fide trenga & pace. quæſt. 9. num. 11.* Johann. Petr. Surd. *de aliment. tit. 9. quæſt. 24. num. 2. & 3.* Petr. Anton. de Petra, *de poteſt. Princip. cap. 29. num. 28. & 33.* Quod plene deducit Farinac. *de falſ. quæſt. 161. n. 406. & ſeqq.* Quem ſequitur Joan. Baptiſt. Hodierna *ad Surd. deciſ. 234. n. 2.* In terminis Promiſſionis ſub verbo Veri Principis. Franc. Niger. Cyriac. *controv. forenſ. 474. n. 1.* Ac ita in terminis Ducum Mantuæ deciſivè ſcribit idem Surdus *deciſ. 234. per tot.* Beſold. *conſil. 295. n. 34. ubi tradit:* Quod hæc opinio ſeu aſſertio, non tantum *à Germanis*, ſed etiam ab *Hiſpaniæ, Luſitaniæ, Italiæ & Galliæ* JureConſultis, tum prælegendo, tum conſulendo & decidendo pro veriſſima agnoſcatur, ut dubitandum non ſit, eandem in utroq; foro receptiſſimam & omnino ſervandam eſſe. Teſte Dauth. *ad cap. quamvis num. 27. de pact. in 6.*

SECTIO II.

SUMMARIA.

XVI. Proponitur contraria prioribus ſententia, verbis ſc. ſub fide principali prolatis vim juramenti denegans.

XVII. Pro cujus rejectione, adſtruitur, id repugnare conditioni Principis.

XVIII. Proponitur affirmativa, & con-

& conſuetudine Germaniæ confirmatur.

XIX. Eadem aſſertio extenditur etiam ad Nobiles Imperij.

XX. Ampliatio I. ad beneficium excuſſionis denegandum.

XXI. Ampliatio II. ad conjunctionem manus.

XXII. Limitatur prædicta quæſtio, I. in caſu juramenti neceſſariò requiſiti ex lege vel pacto, quod illuſtratur exemplo Imp. Germ.

XXIII. Illuſtratur exemplo Regis Galliæ.

XXIV. Illuſtratur exemplo Stephani Com. Pal. Duc. Bav.

XXV. Limitatur II. ſecundum quosdam in pangendis fœderibus.

XXVI. Id negat Beſoldus; conſideranaum tamen eſſe tenorem confœderationis aſſeritur.

XXVII. Dicitur: tutiorem eſſe religioſam aſſertionem.

XXVIII. Et confirmatur ex Waremundo exemplo fœderis inter Pontif. Philipp. Hiſp. Regem & Venetos.

XXIX. Allegatur Natalis Comes, factum ibi eſſe juramentū, affirmans; & additur Venetos pro more egiſſe.

XXX. Adhibetur declaratio: nimiam confidentiā in promiſſis periculoſam eſſe, ob hominum mutabilitatem.

XXXI. Limitatur III. quoad inducendam perjurij pœnā.

XXXII. Eaque ſententia contra diſſentientes defenditur.

XVI. Contrarium tamen, nec infimæ conditionis JurisConſulti ſtatuunt, quod verba ſub Principali authoritate & fide, effectus juramenti non inducant; Inter quos haud poſtremi ordinis eſt Nicol. Reuſner *deciſ. 12, num. 30. lib. 4.* Joan. Köppen *quæſt. deciſ. 56. n. 13. Conſult. Saxon. part. 1. de contractibus quæſt. 31. ad fin.* Warem. ab Ehrenberg. *de fœder. lib. 2. cap. 1. fol. m. 63. Conſil. Altorfin. 48. fol 217. & per tot.* Idque latè & per exempla deducit Græven. *ad Gail. libr. 2. Concluſ. 59. per tot* Ubi *ſub numero 17.* tradit, quod nec conſuetudine introduci

queat, ut Promiſſio ſub fide Principis juramenti vices ſupplere poſſit. Quibus aſtipulatur Dn. Georg. Frantzk. *in Pandect. tit. de jurejurando. num. 25.* *Ratio* hujus aſſertionis hæc adfertur; Quod ubi non eſt divini nominis & numinis invocatio, ibi nullum verum juramentum dicendum eſt interveniſſe, ſecundum definitionem juramenti. Hinc non ſine ratione, nec fruſtraneè apud omnes ferè Gentes introductæ & conſtitutæ ſunt formulæ jurisjurandi. De quibus Barnab. Briſſon. *lib. 8. formul. popul. Roman.* Quod variis inſuper rationibus comprobat Joan. Bolognet. *ad l. ſi quis major. 41. n. 60. Cod. d. tranſact.* Bertazol. *ibid. quæſt. 36. ſub num. 497.* Quoniam Romani (inquit Livius) rerum divinarum fœdera & humanarum fidem ſocialem ſanctiſſimam habebant. Livius Decad. *2. lib. 4.* Dn. Pr. Lælius Manein. *de relaxat. juram. cap. 2. num. 11.* Diſtinctione conciliat diſcordantes opiniones inter præſtationem per fidem humanam, & per fidem Theologicam Hilliger. *in Donell. Enucleat. lib. 24. cap. 13. lit. E. in Not. Bachovii. in not. ad Treutl. diſput. 21. theſ. 1. lit. A. vol. 1.* Aliter diſtinguit Muſculus inter Jus Civile & Jus Canonicum, *in diſcurſ. de Succeſſ. Conventional. claſſe. 1. num. 205.*

XVII. *Verum enimverò*, quicquid ſit, quod acriter diſputando evinci poſſit, attamen quoniam Principum nuda promiſſa pro factis haberi, ac quicquid illi promiſerint, perinde ſolet eſſe certum, ac ſi jam factum eſſet: nec verba eorum unquam irrita eſſe convenit, in eoque ob dignitatis amplitudinem præcipuè à privatis ſecernuntur. *arg. l. 3. C. de quadr. præſcript.* vide poſt alios Menoch. *lib. 6. Præſumpt. 59. num. 1.* Gail. *lib. 2. Obſerv. 59. num. 7.* Joan. Ceremat. *de recta Regni adminiſtrat. cap. 32.*

cap. 32. per tot. Beſold. *de fœder. cap. 6. n. 5.* Vincent. Turturet. *tr. de nobilit. gentilit. lib. 3. cap. 9. à princip.* Ideò Principem Imperii Promiſſionem ac fidem datam non obſervantem, æquè contra ſtatum, authoritatem & dignitatem peccare cenſeo, ac ſi Privatus perjurium commiſerit; Principum enim fides in ſe & honeſtatem & pietatem continet. Barſchamp. *d. cap. 31. §. 1. n. 25.* Joan. Petr. Ceremat. *de recta regni adminiſtr. cap. 32.* Quæ in naturali æquitate fundamentum habent, & arctius Principem aſtringunt, quam Jus Civile quemcunque Privatum, cum Principes merum Jus naturale ſeu Gentium obſervare obligentur, ex quo ad fidei datæ obſervantiam aſtringuntur. Henrichman. *dict. conſil. 2. num. 56. in append.* Beſold. *de jur. fœder. cap. 6. num. 5. in princip.* Carol. Scriban. *in Polit. Chriſtian. lib. 2. cap. 15.* Joan. Baptiſt. Larrea. *allegat. fiſcal. 119. ſub num. 24.* Ac Principis publicus contemptus (in quem ob non ſervatam fidem incurrit) ei gravius nocet, quam Privato perjurium, paucis cognitum; Cum præclara Principis exiſtimatio, ſit tutela Imperii publica, ac plura interdum efficiat, quam vis & arma. Boccalin. *in Parnaſſ. cent. 2.* Ragguaglia 15. vid. Beſold. *d. arcan. Rerump. cap. 1. n. 5.* Ac nullum pretioſius Principis pignus exiſtat, quam ejus verbum & fides: Quæ non obſervando vileſcit, ut nullus ex Vaſallis Principi confidat. Joan. Bapt. Larrea, *d. allegat. 119. num. 24.* Proinde fidem datam ſervare Principi glorioſum, violare maximè vituperabile & inglorium erit. Ambroſ. Marlian. *in Theat. Polit. cap. 14. per tot.* Pierre Matthieu *hiſtor. Henr. IV. lib. 7. narrat. 2. n. 7.* Joan. Petr. Ceremat. *tr. de recta Regni adminiſtr. cap. 32. per tot.*

XVIII. Prævalet ergo prior *affirmativa* aſſertio,

quod promiſſio vel aſſertio ſub fide Principali, *quoad vinculum contractus*, pro juramento verè & corporaliter præſtito habeatur, ac effectus juramenti non paucos ſecum ducat; Colei. *conſil. 49. num. 146.* Antonin. Freundeberg. *de reſcript. morat. tit. 7. concl. 30. num. 62.* Quos juramenti effectus latiſſimè congeſſit, Antonin. *de Petruccia tr. de effectib. jurament. per tot.* latè Dn. Theodor. Thumm. *tr. de jurament. Rubr. de effectu. fol. m. 105. & ſeqq.* Accedente præſertim notoria Germaniæ conſuetudine, à tot magnis Germaniæ Viris comprobata, cujus magna vis non tantum in abrogandis, ſed magis in declarandis legibus; adeò ut incivile ſit ab eo recedere vel id in dubium vocare, quod diu æquum viſum fuit. *per l. 2. D. de conſtitut. Princip.* Juxta quam Judex in judicando meritò ſe formare debet. Hieron. de Cævall. *Comm. contra Commun. quæſt. 238.* Ludolph. Schrader. *conſil. 1. n. 290.* Græven. *libr. 2. Concluſ. 31. per tot.* Anton. Freundeberg. *de reſcript. morat. concluſ. 69. num. 50.*

XIX. Quod de Principe, Comite ac Barone Imperii dictum eſt, illud æquè in Nobilibus Imperii immediatis locum habet. Proinde Nobilis Imperii promittens aliquid ſub fide Nobilitatis, bey Adelichem Traw und Glauben / oder bey ſeinen Adelichen Ehren / æquipollet promiſſioni juratæ, ac parilem vim & effectum, ac ſi privatus quidpiam juratò promiſiſſet, obtinet. Barſchamp. *dict. tr. d. clauſul. cap. 31. §. 2. num. 31. & ſeqq.* Beſold. *in Theſaur. pract. lit. T. verbo* Traw und Glaub. *36. Ac in conſil. 32. num. 14.* Chriſt. Beſold. *de nobilitat. in operib. Polit. Tit. de trib. domeſt. ſoc. ſpecieb. fol. m. 130.* Joſ. Nolden. *in terminis de nobilit. cap. 12. num. 41.* Unde de Nobilibus Germanis vetus Proverbium: Verſprechen und

halten

halten haben gelobt die liebe Alten/ quorum proprium eſſe debet, quod dico dico, quod ſcribo ſcribo. De quo ita conſtituit *Ordinatio Franconicæ Nobilitatis*: Wann ein Fränckiſches Adeliches Mitglid beharzlich wider ſein Wort/ Traw und Glauben/ Brieff und Sigel handelt/ der wird von der Ritterſchafft ihrer Verſamblung und Geſellſchafft außgeſchloſſen. Fränck. Ritter-Ordnung *part. 1. tit. 11.* vid. latius Dn. Joh. Conr. Kreidenmann *de Nobilit. Suev. ſtatu quæſt. 4. num. 253. & ſeqq.*

XX. Quod per modum *Ampliationis I.* verum obtinet, adeò quidem, ut Promiſſio Principis aut Status Imperii ſub fide generoſitatis aut ſub fide veri Principis vim juramenti habeat, nec honeſtè petere poteſt Princeps promittens, ut Debitor Principalis prius excutiatur, antequam Fidejuſſor conveniatur, cum promiſſio jurata, beneficium excuſſionis ſeu ordinis excludat. Anton. Hering. *de fidejuſſ. cap. 27. part. 1. num. 299. ac 49.* Quem ſequitur Hodierna *dict. dec. 234. num. 3.* Et ante eum Surd. *deciſ. 234.* Menoch. *conſil. 208. num. 43. & 44.* Quo faciunt tradita Coleri *de proceſſ. execut. part. 1. cap. 10. num. 231. & 236.* Valent. Franc. *de fidejuſſ. cap. 5. num. 362.* poſt alios Berlich. *part. 2. Concluſ. 24. num. 11.* Diſſentit Bernhard. Græven. *libr. 2. Concluſ. 59. num. 56.*

XXI. Quod *Ampliando II.* verum eſt, ut fides Principis data de manu ad manum, ſeu per conjunctionem manus, pro juramento habeatur. *per cap. ad aures.* Ubi Abbas *Panormit. X. quod vi metusve.* Lucas de Penna *in l. un. C. de publ. latit.* Ita jam olim ante quingentos annos Principes Germaniæ, quidpiam in Pace publica promittentes loco juramenti, ad majorem firmitatem,

 dextras

dextras dederunt. Sicuti conſtat ex Pacis Conſtitutione inter Imperatorem *Fridericum Barbaroſſam* & *Cives Mediolanenſes* facta; Qua inter alia conventum eſt de Obſidibus: Ut quibus illi commiſſi fuerint Obſides in Italia, jurent in præſentia Mediolanenſium ad hæc prædeſtinatorum, quo præfixo tempore tranſacto infra octo dies ex quo requiſiti fuerint à Mediolanenſibus, Obſides eis liberè reddant, ut illi ſecurè eos habeant, ſi prætaxata Capitula ab eis obſervata fuerint: Tres verò Principes Alemaniæ *Dextras dabunt*, quod Obſides illi, qui ultra montes deferentur, ſi qui erunt, fideliter reddentur. Sicuti legimus apud Radevic. *in append. Otthon. Friſing. Chron. libr. 1. cap. 41.* Manus enim dextra ejusve porrectio eſt ſignum Pacis. Nicol. Moron. *d. tr. de fide quæſt. 9. n. 3.* Joan. Petr. Surd. *dict. deciſ. 234. n. 6.* Barboſa *ad cap. ad aures num. 4. X. De iis quæ vi metuvè.*

XXII. *Limitatur* prædicta quæſtio I. in caſu quo *Lex vel Pactum* à Principe Imperii ad promiſſa ſervanda, juramentum corporale, *Pro forma & ſubſtantia* ad ſolennitatem actus exigit. Quoniam hoc in caſu juramentum per æquipollens ſuppleri aut adimpleri nequit. Matthæus Weſenbecc. *conſil. 15. num. 63. & conſil. 52. n. 78.* Herman. Vult. *conſil. Marp. 17. num. 52. vol. 1.* Nicol. Bets. *d. pact. famil. illuſtr. cap. 7. fol. 267.* Bartol. Kellenbentz. *de renunciat. ſucceſſ. quæſt. 3. num. 6. & ſeqq.* Chriſt. Cruſius *de indiciis delict. part. 1. cap. 98. num. 25.* Bernhard. Græven. *lib. 2. Concluſ. 59. num. 15.* Beſold. *conſil. 13. 14. & conſil. 195. num. 35.* Hinc in Imperio Romano-Germanico, Imperator Romanus poſt electionem, aſt ante coronationem, Capitulationem ab Electoribus ei præſcriptam, *Corporali juramento* corroborare ſolet; Si-

cuti

cuti conſtat ex Capitulatione Imperatoris *Caroli V. art. 31. in verbis:* Inmaſſen wir dann einen leiblichen Ayd zu Gott und den Heyligen geſchworen/ daſſelbe ſteht veſt und unverbrüchlich zuhalten; dem getrewlich nachzukommen/ darwider nicht zu ſeyn/ zu thun/ noch ſchaffen gethan zu werden in einige weis oder weg die möchten erdacht werden; Et hoc juramentum hucusque omnes *Caroli V.* Succeſſores in Imperio R. G. præſtiterunt; Dn. Joan. Limnæ. *in annotat. ad Capitulat. Caroli V. ad art. 31. verb.* einen leiblichen Ayd. Hanc Capitulationem Imperator *Ferdinandus I.* nominat eine hochbethewrte geſchworne Obligation, in Literis ſuis *de anno 1559. die 13. Novemb. exaratis.* quas Vide *apud Author. tr. de Compoſit. Pacis c. 7. quæſt. 52. n. 38. & ſeqq.*

XXIII. *In Galliæ Regno Rex* ante coronationis actum duplici juramento conſtringitur, *uno* Eccleſiaſticis, quod eorum Libertates & Privilegia concernit: *Altero,* ipſi Populo ſeu Regno; quo ſe operam daturum promittit, ut Populus pacificè vivat; Cujusvis Ordinis homines rapinis & ſcelere abſtineant, & ut in Judiciis æquitas & juſtitia adminiſtretur. Hotoman. *in Franco Gallia cap. 25. fol. 325.* Theod. Gothofred. *in Ceremonial. Gall. fol. 630.* Dn. Limnæ. *in proœm. Capitulat. Sect. 3. num. 20. & ſeqq. ac in notitia Regn. Franc. lib. 2. cap. 4. lit Y. & Z.*

XXIV. Pari modo *Stephanus* Comes Palatinus Dux Bavariæ in Comitiis Francofurti indictis Anno M CCC XXXVIII. cum cæteris Electoribus, de præſtando Imperatoriæ Majeſtati contra Galliæ Regem auxilio, ſingulari diplomate formaliter ita ſe obligavit, præſtito inſuper Sacramento: Quod ſi verò nos aut noſtrum aliquis, quod Deus avertat, adeò perverſus eſſet,

ut

Digitized by Google

ut vel nos vel alius quiſpiam contra faceremus, aut facere vellemus, contra hoc tueri nos non debemus ulla diſpenſatione, relaxatione, abolitione nec ullo alio beneficio, quocunque nomine appelletur, undecunque aut quomodocunque hoc proveniat & fiat, per noſtras & aliorum hominum preces, aut quod latine vocatur, ex officio neque ulla ſuperioritate, quæ ſe in hoc intromittere vellet. Et debemus Deo ac mundo infames, infideles ac perjuri eſſe & vocari, ubi aut quocunque pacto contra faceremus aut veniremus ullo modo: omni fraude & dolo in præſcriptis omnibus punctis excluſis. Quod recenſet Nicol. Burgund. *tr. de Elector. Bavar. fol. m. 58.*

XXV. *Limitatur II.* præfata aſſertio ſecundum quosdam, in *Fœderibus pangendis* aliisvè pactis publicis. Hinc
Q. quæritur: An in Fœderibus juramentum ſit de ſubſtantia? Negant hoc non pauci ex Politicis: hac ratione, quod verba & ſtipulationes bey Königlichen/ Fürſtlichen Gräfflichen Worten/ non idoneæ & ſufficientes ſint ad firmanda fœdera, ſed juramento inſuper realiter præſtito opus eſſe; ſicuti cenſet Waremund. ab Ehrenberg. *tr. de fœder. lib. 2. fol. m. 63.* Quem ſequitur Dn. Georg. Fransk. *ad Pandect. tit. de jurament. num. 28.* Quod fundamentum habere videtur *in §. hanc igitur. & ſeq. De Pace conſtant*: Ubi Pax jurejurando utrinque confirmari & ſanciri debet & ſolet. Ac nihil frequentius in hiſtoriis legimus, quam Fœdera jurejurando corroborata, adeò ut argumentum hoc à ſolitis, neceſſitatem inducere videatur. Nam ratio jurisjurandi in fœderibus ineundis vetuſtiſſima fuit. Quam ſine dubio Judaicæ genti acceptam ferre debemus. Etenim Samuelis *lib. 1.*

cap. 23.

cap. 23. verſ. 18. ſcriptum legimus: Pepigerunt ambo fœdus coram Jehova: Id eſt nomine altiſſimi invocato. Ac jam diu ante, Geneſ. *31. verſ. 49.* Laban cum Jacobo fœdus pacis pepigit; *Speculator* (ait) *inter me & te Deus, quando alter alteri abſcondetur.* Waremund. ab Ehrenberg. *dict. lib. 2. cap. 2. fol. m. 57.* Weſenbecc. *in paratitl. de jurejur. num. 6.* Jerem. Setſer. *de jurejur. lib. 1. cap. 2.*

XXVI. *Econtra* Beſoldus cenſet; Verba bey Königl. Fürſtlicher Trew / Ehr und Würde ad firmanda fœdera ſufficere; Quoniam non tantum more inter Principes aliosvè Viros illuſtres recepto, verba hæc juramento æquipolleant, ſed etiam vim juramenti ea habere, in Camera Imperiali receptum ſit teſte Mynſinger. *cent. 1. Obſervat. 17.* Andr. Gail. *lib. 2. Obſervat. 59.* Ita Beſold. *de fœder. cap. 6. num. 5. & 6.* Et cum eo Remig. Feſch. *eod. tr. theſ. 15. ſub lit. B.* Petr. Gudelin. *de pace cap. 10. Verum enimverò* in hac quæſtione, omnium primò inſpiciendus eſt tenor confœderationis, ejusque inſerti articuli; Quod ſi ex hiſce nihil clarè conſtat aut colligere licet, fœdus aut aliam pactionem publicam ex ipſa ſubſcriptione & ſigilli adpoſitione vim & robur ſatis firmum habere cenſeo; *ſecund. ea quæ tradit* Beſold. *de pace cap. 6. in oper. polit.*

XXVII. Attamen ſemper tutius eſt, ſolennem & religioſam aſſertionem interponere in fœderibus. Juramentum enim quamvis actum non ampliet, fortius tamen aſtringit & ligat; adeò quidem, ut ſæpius firmet obligationem aliàs per ſe nullam. *per cap. debitor. 6. & per cap. etſi Chriſtus. ibi: cogendi ſunt Domino reddere juramentum.* Ubi Auguſt. Barboſ. *X. de jurejurand.* Gallerat.

lerat. *de renunciat. lib. 3. cap. 2. num. 39.* Ac ſolidius ſubſiſtere ſolet, quod juramento conglutinatum eſt, ſicuti alicubi gloſſa loquitur. Metuque numinis, vindictæque divinæ, quæ pejerantes ſubſequitur, multo plus quam ſimplex promiſſio operari ſolet. *per l. quæ ſub. in pr. D. de condit. inſtitut.* Beſold. *dict. tr. de fœderib. cap. 6. ſub num.* 5. Paul. Gallerat *de renunciat. lib. 3. cap. 2. num. 36.* Unde quam bene *Sophocles* in Hippodam. ſcribit: *Appoſito juramento cautior & diligentior animus fit: A duobus enim ſibi tum cavet; Et ne lædat amicos & ne peccet in Deos*, apud Joan. Stobæ. *Sermon. 27.*

XXVIII. Hinc non immeritò admiratur *Waremundus* ab Ehrenberg/ quod in fœdere ampliſſimo & famoſo, inter Pontificem Romanum Pium V. Hiſpaniæ Regem Philippum II. ac Rempublicam Venetam Anno 1571. ad defendendam Cypri Inſulam pacto inito, juramentum non fuerit adjectum. Thuan. *hiſtor. libr. 49. fol. m. 710.* Hinc Waremundus tradit, & cenſet hanc juramenti omiſſionem cauſam & anſam procul dubio non minimam dediſſe, ut Veneti à fœdere iſto tam citò reſilierint; Waremund. ab Ehrenberg. *de fœder. lib. 2. cap. 2. fol. 94.*

XXIX. *Veruntamen*, hanc confœderationem à Pontifice, & Regis Hiſpaniæ, Venetæque Reipublicæ Oratoribus Romæ juramento corroboratam eſſe, ſcribit & teſtatur Natalis Comes *in Hiſtor. univerſ. ſui temporis libr. 22.* Ubi non tantum omnes confœderationis articulos cum ipſo publicationis actu latè recenſet; ſed etiam corroborationem juratam, ſequentibus verbis conteſtatur: *Has conditiones Pontifex proprio & ſuorum Succeſſorum:*

ceſſorum: Reliqui Oratores & Procuratores ſuorum Principum nominibus, ſubſcriptionibus & ſigillationibus confirmarunt polliciti que ſunt bona fide & ſine fraude diligenter ſervatum iri, ac juramento affirmarunt Natal. Comes. *dict. lib. 22. fol m. 72. & ſeq.* Attamen, quicquid ſit, hic nihil præter Venetorum conſuetudinem factum eſſe ſcribit Waremundus ab Ehrenberg. Nam ſi hiſtorias evolvamus, raro Veneti fœdera contracta diu integrè ſervarunt, ſed mox arte aliqua & quæſito excuſandi colore à fœderibus receſſerunt, prout ipſis commodum eſſe viſum fuit; ſicut animadvertere licet ex Juſtinian. *in Hiſtor. Venet. lib. 10. lib. 12. & lib. 16.* Aſt ſit ut ſit, Venetos rationibus urgentibus pacem cum Selimo Turcico Imperatore inſciis confœderatis Anno M D LXXII. concluſiſſe; tradit celebris Hiſtoricus, Natalis Comes; Dum ſcribit: *Conditiones Fœderationis ab Hiſpanis parum accuratè ſervatæ, impulerunt Venetos, ad hanc pacem. Hi enim rati, ſuis rebus maturè conſulendum eſſe, antequam omnia funditus per tarditatem auxiliorum everterentur, poſt* Centum & quadraginta millia librarum auri *& quod amplius, cum ſingulæ libræ* Centum aureos nummos *contineant, in bellicos ſumptus inutiliter profuſa, poſt graves ſuorum populationes Cypri Regni & hominum plurimorum jacturam, per ſubditarum omnium Civitatum lamentationes & ruinas, cum magna prope omnium indignatione quibus inviſa eſt Turcica tyrannis, aut certè imperitorum rerum bellicarum convitiis & contumeliis, rem cum Selimo componere coguntur.* Natal. Comes *in dict. hiſtor. univerſal. lib. 23. fol. m. 512.* Quod ſequentibus verbis confirmat Jacobus Auguſtus Thuanus: *Hujus tertiꝭ anni manifeſtam ludificationem ceu dubium relinquere, Hiſpanorum id conſilium eſſe, ut Venetos inſanis & inutilibus ſumptibus abſumant, eorumque ditionem bello tam damnoſo attritam, inde Turcis ad prædam*

 expo-

exponant, hinc propriæ ambitioni aliquando ſeponant? Nam ridiculum eſſe prorſus, quod de Gallicorum motuum in Subalpina regione metu, in medium aſſertur; planeque apparere, eam affectatam eſſe excuſationem. Nec verius eſſe, quod plerique ajunt, qui arcana profundius rimantur, Pontifice mortuo, cum incertum eſſet quis illi Succeſſor daretur, hoc ſtatu rerum noluiſſe ſuas in Italia Provincias omni præſidio nudari. Igitur odium Hiſpanorum adverſus Senatum inſatiabile *in cauſa eſſe, qui quantum Venetis deceſſerit,* tantum ſibi accedere *exiſtiment. Itaque ex eorum conſilio, ipſos ſibi conſilium capere debere, & à fœdere,* (ex quo lucrum ad Hiſpanos, damnum ad ſe infida atque adeò leonina ſocietate redeat) *maturè diſcedere.* His rationibus *jam cæcitate ſuperiorum fere diſcuſſa, in Senatu facile pervincitur,* de Pace *ſermonem repetere, remque ad ſummas conditiones, quas non* æquitas, *ſed* diſpar fortuna *efflagitet, perducere.* Quod latius deducit Jacob. Auguſt. Thuan. *hiſtor. lib. 49. ad Annum 1571. fol. m. 723. ac lib. 54. fol. m. 882. & ſeq. & lib. 55. fol. m. 893.* Hinc optimè de hujuſcemodi fœderibus ſcribit Thomas Roccabella; *Chi ſi uniſce col debole, cerca compagnia nel cadere. Chi ſi uniſce col prepotente, procura giogo, ed incontra l' arbitraggio l' altrui. La Lega ſi ſgroppa quando la promeſſa non s' adempie.* Roccabella *nel Principe Deliberante. Tit. Lega. fol. m. 131.*

XXX. Hoc tamen (per modum declarationis addendo) pro arcano Politico obſervandum & ſollicita mente tenendum eſſe, à quibusdam traditur; Ne quiſpiam Principum ac Magnatum, pactis fœderibus & promiſſis publicum ſtatum concernentibus, præſertim in rebus arduis, nimium fidat aut confidat, ſed ſemper ſuſpenſo quaſi animo hæreat; Donec promiſſa ambabus & quidem quaſi ferreis manibus teneat, & poſſideat.

Nam

Nam experientiâ quotidianâ teſte, humanæ conditionis quadam imbecillitate accidit, ut etiam Viri Magni & Graves ſæpenumero promptiores in promittendo ſint, ac minando, quam poſtea perficere poſſunt. teſte Dion. Caſſio. *hiſtor. lib. 42.* Unde notabiliter Virgilius Malvezzi ſcribit: *Fa bene ſoſpettare in tutte le coſe, non per tralaſciar le tute: Mà per cautelarſi in tutto.* Nemo enim tibi Amicus tam familiaris, tamque perſpectus habeatur, cujus pollicitationibus permotus, res & fortunas tuas in ſingulare quoddam diſcrimen dimittas. Verè enim Cupreſſis ſimilia ſunt talia Promittentium verba, quæ ſublimes cum ſint & pulchræ & procul egregium quidpiam polliceri videantur, ubi propè acceſſeris, fructum non habent; ſicuti hoc acutiſſime in Obſervationibus ſuis annotat. Joan. Bapt. Lencius *Obſerv. Polit. 126.* Veruntamen in hoſce Pſeudo-Politicos graviter invehitur *Carolus Scribanius*, qui promiſſa Principum inter aulicas civilitates ponit, à quibus nulla obligatio naſcatur. *Non cadunt* (inquit) *aulica hæc mendacia in Principem, nec cadere debent. Superioris in Subditum non ſunt purpurata mendacia; inter pares plurimum illa natant, & ultro citroque inambulant, non verò inter Principes & Subditos.* Carol. Scriban. *in Politic. Chriſtian. lib. 2. cap. 15. fol. m. 595.*

XXXI. *Limitatur III.* præfata aſſertio, quoad inducendam perjurii pœnam. Hinc quæritur & diſputatur; Q. *An Princeps aut Comes promittens quidpiam ſub fide Principis aut Comitis*, bey ſeinen Fürſtlichen oder Gräfflichen wahren Worten/ Traw und Glauben/ *aſt illud non obſervans & præſtans, ſed promiſſioni contraveniens, incurrat in pœnam perjurÿ juxta l. ſi quis major. 41. Cod. de tranſact?* Sanè non deſunt haud infimi ordinis JureConſulti, qui hoc aſſerunt;

veluti Jaſon. in l. ſi quis major. 41. n. 28. C. de tranſact. Gail. 2. *Obſervat. 59. num. 4.* Hieron. Schurff. *conſil. 62. num. 12. cent. 3.* Fichard. *conſil. 31. num. 14. & ſeq. vol. 2.* Coler. *in Proceſſ. executiv. part. 1. cap. 10. num. 246.* Afflict. *deciſ. 389.* Joan. Gutierez. *in Auth. Sacram. puber. num. 144. C. ſi adverſ. vendit.* Joan. Petr. Surd. *deciſ. 134. num. 5.* Auguſtin. Barboſa *ad cap. ad aures 3. num. 2. & 3. X. de his quæ vi metusque cauſa.* Chriſtoph. Philipp. Richter. *de tranſact. ad l. ſi quis major. 41. n. 17.* Ubi pro ratione decidendi hanc præcipuè adfert: Nämblichen gleich wie wegen nichthaltung eines mit dem Ayd beſtätigten Vertrags; Alſo und gleicher maſſen wegen violirung und Brechung einer ſolchen tranſaction, ſo beyde Parteyen bey Ehren / Trawen und Glauben zu halten zugeſagt / die *in dict. leg. ſi quis major. 41.* verordnete Straffen ſtatt haben können: Welches ob es wol andern nationen etwas ſcharpffes ſcheinet / und derenthalben nicht allerdings bey ihnen im Gebrauch gehalten worden ſeyn möchte; Doch billich bey unſer löblichen teutſchen Nation (welche von alters hero in und allweg Traw und Glauben ſo hoch und thewer / als andere Völcker ihre aydliche Betheiwrung jemals geachtet haben mögen / gehalten) nachmals ein allgemeiner Rechtſchluß und Lehre ſeyn und bleiben ſolle. Ac ita Collegium Juris Univerſitatis Jenenſis reſpondiſſe Menſe Nov. Anno 1621. atteſtatur ipſe Richter *in text. leg. 1621. ſub num. 24.* Qui rationibus contrariis reſpondet *ſub num. 29. & ſeq.*

XXXII. Aſt *Negativa Sententia* fortioribus nititur rationibus, quas latè congeſſit & contrariis ſimul reſpondit poſt alios Joan. Bolignet. *ad dict. l. ſi quis major. 41. num. 60. C. dict. tit. in operib. ſuis.* Quoniam *text. in dict. l. ſi quis major.* requirit verum juramentum propter ver-

bum

bum ibidem: *Iuraverit*, ac juramentum eſt cultus divinus, cujus violatio eſt contemptus cultus divini. Ubi autem non intervenit cultus divinus, ibi contraventio pro perjurio reputari non poteſt. *arg. l. 4. Cod. de feriis.* Matth. Weſenbecc. *conſil. 23. ſub num. 56.* latè Joan. Bolognet. *ad d. l. ſi quis major. 41. num. 60.* Bertazzol. *ad eand. leg. quæſt. 36. num. 493.* cum per violationem datæ fidei Deus T. O. M. non contemnatur, nec fidei interpoſitione Deo fit promiſſio quemadmodum in juramento. Aliud enim eſt præſtatio fidei, aliud præſtatio juramenti. *cap. commiſſum ibi:* de contrahendo matrimonio fidem dedit, & ſe cum ea intra biennium per verba de præſenti contracturum, præſtito juramento firmavit. *X. de ſponſal.* Præterquam quod æquiparatio facta de juramento & fidei præſtatione non procedat reſpectu pœnæ. *per cap. 1. X. de jurejur. cap. odia. de Regul. jur. in 6.* Parpal. *num. 40.* Curt. *num. 33.* Alciat. *n. 27.* Cagnol. *n. 99.* Bertazzol. *num. 493.* Gilken. *num. 36. & ſeq. ad dict. l. ſi quis major. 41.* Hinc Doctores communiter tradunt, quod promiſſio per fidem gentilitiam ſolum effectum habeat quoad obſervantiam, non verò quoad deſtituendum quempiam honore ſuo. Adrian. Gilman. *deciſ. 9. n. 35. lib. 1.* vel quoad pœnam & perjurium in caſu contraventionis. Mynſing. *cent. 1. Obſerv. 17. num. 5. in fine.* Martin. Benckendorff. *ad l. 2. Sect. 2. membr. 5. part. 2. art. 1. num. 267. & 268.* Ubi plures allegat. Et hoc ad exemplum homagii, quod ſi mediante juramento corporali præſtitum ſit, tum fractor homagii mox perjurus efficitur; Secus verò, ſi ſola fides interponatur; Sicut hoc exemplificat & diſtinguit Joan. Gutierez. *in auth. Sacramenta puberum. num. 149. C. ſi adverſ. vendit.* Ita tradunt in terminis præ aliis Covarruv. *in cap. quamvis.*

part. 1.

part. 1. §. 2. de pactis in 6. Ant. Gabriel. *lib. 2. Comm. Concluſ. 1. de tranſact. num. 29.* Anton. Petr. de Petra *de poteſt. Princip. cap. 20. num. 26.* Jacob. Cancer. *var. Reſol. part. 2. cap. 8. quæſt. 9. n. 91.* Nicol. Everhard. Jun. *conſil. 56. n. 29. vol 1.* poſt Mynſinger. Gylman. & alios Joſ. Nolden. *de jur. Nobilit. cap. 12. num. 62. & ſeq.* Cantiuncula *conſ. 22. num. 31.* Jerem. Setſer. *de jurejur. lib. 1. cap. 16. num. 3.* Qui tamen *ſub num. 5.* de hac quæſtione negativè reſoluta valde ſollicitus eſt, nec parum titubat. Freundeberg *de reſcript. morat. tit. 7. Concluſ. 30. num. 62.* Joan. Bapt. Hodierna ad Surd. *deciſ. 234. num. 2. & ſeq.* Bernhard Græven. ad Gail. *lib. 2. Concluſ. 59. num. 14.* Hering. *de fidejuſſ. part. 1. cap. 27. ſub n. 298.* Dn. Georg. Fransk. *Pandect. tit. de jurejurando. num. 29.* Ac ita in Camera Imperiali judicatum fuiſſe teſtatur. Joan. Fichard. ad Bapt. à Villalobos. *Comm. opinion. lit. F. verb. Fides. num. 59.* Adeoque ut ne quidem in terris Saxoniæ hæc promiſſio juramento æquivaleat, ſed pro ſimplici promiſſione habeatur, teſte Berlich. *pract. concluſ. 21. num. 39. part. 2.*

SECTIO III.

SUMMARIA.

XXXIII. Q. An per verba: ſic me Deus adjuvet! juramentum inducatur? R. aff. idque probatur.

XXXIV. Adferuntur variæ formulæ jurandi.

XXXV. Adſtruitur: ex invocatione Dei in adjutorium, evinci juramentum, in conventionibus.

XXXVI. Idem procedit in promiſſionibus.

XXXVII. Illuſtratur exemplo cujuſd. Nobilis, negantis hoc eſſe juramentum.

XXXVIII. Id improbatur. 1. negando, ad juramentum requiri expreſſum verbum, juro, *quod confirmatur teſtimoniis variorum.*

XXXIX. Im-

XXXIX. Improbatur. 2. negando ad juramentum neceſſariò verba requiri, cum juramentum verſus Deum dirigatur, qui corda ſcrutatur; & hoc confirmatur quotidiana praxi.

XL. Limitatur IV. ſuperius tradita aſſertio: in Renunciatione Filiarum illuſtrium.

XLI. Q. An Filia illuſtris renunciatio ſub fide generoſitatis ſit efficax? Affirmativæ probabilitas innuitur, & teſtimoniis confirmatur.

XLII. Reſpondetur negativè, per rationes & teſtimonia variorum.

XLIII. Juramentum eſt optimum remedium ad tollenda legis auxilia, cum id non poſſit reſcindi, ob metum divini numinis.

XLIV. Ad validitatem renunciationis hujusmodi pro forma ſubſtantiali requiritur juramentum realiter præſtitum, & hoc non adimpletur per verba æquipollentia.

XLV. Decl. aſſertionis. 1. niſi conſuetudo regionis aliud ſuadeat. 2. niſi juramentum corporale à parte remiſſum fuerit.

XLVI. Q. An obligatio ſub fide Principali paratam habeat executionem? Rejecta affirmativa Mindani, negatur ex deciſione Cameræ Imperialis.

XXXIII. Ex hac quæſtione negativè reſoluta, oritur Q.
aliud Dubium in caſu, quo fidei Principali, invocatio inſuper numinis divini accedit, eaq; promiſſio verbis auxilii divini munitur & corroboratur. v.g. Si Paciſcens, inſtrumentum renunciatorium aut ipſam Conventionem hiſce verbis confirmet: Alles bey unſern Ehren/ Würden/ Trawen/ Glauben unñ wahren Worten; So wahr mir Gott helffe. *An per hac verba, ſic Deus me adjuvet, verum juramentum inducatur?* Et hoc dubium per modum Decla-

rationis ad præfatam quæſtionem negativam, *Affirmativè* reſolvimus. Hiſce enim verbis Contractus revera juratus exiſtit, adeò ut contraveniens in perjurium, ejusque *in l. ſi quis major. 41. C. de tranſact.* definitas pœnas incurrat. Definitur juramentum ſecundum *Dominic. Soto*, & nihil aliud eſt quam *dictio per divinam atteſtationem confirmata, ut dictionis nomine affirmationem & negationem complectamur.* Soto *de juſt. & jur. lib. 8. qu. 1. art. 1. in principip.* vel ſecundum *Leonhardum Leſſium; Juramentum eſt invocatio divini teſtimonii ad fidem faciendam & promiſſionem firmandam.* Leſſius *de juſtit. & jur. libr. 2. cap. 42. Dubit. 1. num. 1.* Vel clarius ſecundum *D. Theod. Thummium: Juramentum eſt Species cultus, quâ Deus invocatur in teſtimonium ut vel opituletur rectè juranti vel puniat pejerantem.* Thumm. *tr. de jurament num. 4.* Ubi varias Juramenti Definitiones recenſet.

XXXIV. In primitiva Eccleſia, jurarunt Chriſtiani variis formulis; veluti: *Teſtis eſt mihi Deus. Teſtis eſt anima mea. Per veritatem & conſcientiam meam. D. Paul. 2. Corinth. 2. ac 2. Corinth. 11. ac Roman. 9.* Vide Dom. Soto *d. lib. 8. quæſt. 1. artic. 1.* Valer. Reginald. *in Prax. For. Pœnit. lib. 18. cap. 1.* Oſuald. Hilliger. *in D. E. lib. 24. c. 13. lit. E.* Setſer. *de juram. lib. 1. cap. 15.* Nicol. Hennel. *in Otio Vratislav. cap. 15.* Moribus hodiernis conſueta jurisjurandi formula à Jure Canonico introducta hæc eſt: *Sic me Deus adjuvet.* Quam tradit & refert *Cap. de parentela illa 5. & cap. illud Sacramentum. ſeq. cap. Epiſcopus 7. in fin. ut & Cap. ab iſto die. 11. Cauſ. 36. quæſt. 6.* Sylveſtr. *de Peiriera in ſumma verb. Juramentum. 1. quæſt. 1.* Petr. Gregor Tholoſan. *lib. 50. Syntagm. cap. 4. num. 29.* Jerem. Setſer. *de jurejur. lib. 1. cap. 15. num. 18.* Hiſce namque verbis ut Deus

me adjuvet, & hac invocatione Dei in adjutorium promiſſionis præſtitæ, Juramentum eſſentiale committitur. Verum enim eſt Juramentum quod nominatim per Deum fit, aut ubi Divina authoritate aliquid promittitur, Herman. Vult. *in miſcell. cap. 7.* Quoniam hoc caſu reſpectu Numinis Divini juratur, *per l. qui per ſalutem. 33. D. de jurejur.* Duaren. *in prior. Comm. de jurejur. c. 11.* Hilliger *in D. E. lib. 24. cap. 13. lit. E.* Ac ſicuti Principis temporalis præſentia ſupplet omnem authoritatem & ſolennitatem, *per l. omnium. 19. C. de teſtam.* Ita ad inducendum verum Juramentum ſufficit Dei authoritas ad omnem confirmationem. Petr. Gregor. Tholoſan. *dict. lib. 50. cap. 4. num. 29.* Unde optimè ad propoſitum caſum ſcribit Dominicus Soto: *Quare & hoc quoque eſt Juramentum & ad hoc reducitur, quando Deus imploratur ut præmiator veritatis; Veluti ſi dicas: Sic me Deus adjuvet.* Soto *de juſtit. & jur. lib. 8. quæſt. 1. art. 1. Concluſ. 4.*

XXXV. Præterea manifeſtum evincitur juramentum ex invocatione Dei in adjutorium, quâ Deus T. O. M. ſimul in fidem Conventionis invocatur, ut teſtis & adjutor veritatis, & vindex mendacii eſſe velit. Quibus verbis ipſa juramenti forma & vita exprimitur. Theodor. Thumm. *de jurament. poſit. 4. fol. m. 7.* Cum ſolus Deus ſit teſtis & cognitor mentis noſtræ, juxta illud Pſalmi; *Scrutans corda & renes Deus*; ac veritas dictorum à mente proferentis maximè dependeat. *per cap. homines, ibi*: ream linguam non facit niſi rea mens. *cauſ. 22. quæſt. 2.* Auguſt. Barboſa *in Collect. ad proœmium de jurejur. num. 5.* Hinc benè in terminis noſtris tradit Dn. Theodor. Thumm: *Si dico; Ita me Deus juvet: è contrario innuo, ita me Deus perdat, ſi fallam. Sin dicatur; ut*

Deus me, domum, familiam remque meam peſſimo letho afficiat, vel, ut me Deus corpore & anima perdat, è contra ſimul voveo, ut teſtis dictorum meorum ſimul juvet. Prius illud ſi exprimatur, tunc propriè eſt jurare. Sin poſterius, eſt ſeipſum execrari. Dn. Theod. Thumin. *dict. tr. de jurament. Poſit. 4. fol. m. 7.* Et hoc cum eo ante centum annos Dominicus Soto. *dict. lib. 8. quæſt. 1. art. 1. in fin.* Id quod optimè explicuit *Meliſſandrus:* Diſe Wort (als mir GOtt helffe) ſeynd deß Innhalts/als ſpreche der Schwehrer: Ich bezeuge hiemit offentlich und vor Gott / was ich jetzunder geredet und außgeſaget habe/ deme iſt alſo und nit anderſt/ ſo wahr als ich begehre und will/ daß mir Gott in und auß aller Noht helffe/ zeitlich und ewig / und mich in aller Betrübnuß mit ſeinem heyligen Wort und Sacramenten tröſte. Wo aber dem daß ich jetz geſchworen/ nicht alſo iſt/ und ich darinn einen Betrug oder falſch brauche / ſo will ich nicht / daß mir Gott helffe/ noch mich tröſte/ ſonder daß er von mir weiche/ und mich hülff und troſtloß ſterben und verderben laſſe/ zeitlich und ewiglich Amen. Caſpar. Meliſſander *tr. de juram.*

XXXVI. Ulterius quod per invocationem auxilii divini, ad ſervanda promiſſa & pacta verum juramentum promiſſorium induatur, probatur quoque per text. *Exodi 20. verſ. 7. in lege;* hiſce verbis à D. T. O. M. ita conceptis: nicht erhebe den Namen deß Herrn deines Gottes unnutzlich: dann nicht wird unſchuldig oder ungeſtrafft laſſen der Herr / den der da erhebt ſeinen Namen unnutzlich. Exodi *cap. 20. verſ. 7.* ac Deuteron. *cap. 5. verſ. 11.*

Et hæc eſt communis Imperii R. G. uſitata & recepta jurandi forma per verba: *Ita me Deus adjuvet:* So wahr mir Gott helffe Ita namque moris eſt, ut jurare volens, Judice vel alio præſante, ſequentia verba repetere ſoleat.

leat. Alles das jenige / was mir vorgehalten und ich wol verſtanden habe / dem will ich alſo nachkommen / und in allweg geleben / ſo wahr als mir Gott helffe und ſein heyliges Wort. teſte Ludov. Gilhauſen *in arbore judicial.* Nicol. Hennel. *in otio Vratislav. cap. 15. civil. cap. 6. part. 6. §. 6. num. 10.*

Quocirca & paſſim alibi in Imperio R. G. etiam apud illos Imperii Status, qui ſuperſtitioni Pontificiæ jamdudum valedixerunt, & repudium miſerunt, Formula illa jurandi. Als mir Gott helffe; Vel ſi inſuper conjungantur verba: und ſeyn heyliges Evangelium. *in Ordinat. Camer. Imper. part. 1. à cap. 26. usque ad cap. 85.* ſancita, pro vera jurisjurandi formula retinetur. Joachim. Beuſt. *ad l. 13. §. jurari. num. 4. & 5. D. de jurejur.* Quæ etiam à Principibus & Statibus Auguſtanæ Confeſſioni addictis in Conſtitutione Pacificationis Paſſavienſis ut verbo Dei non repugnans admiſſa eſt, teſte Rauchbar. *part. 2. quæſt. 2. num. 52.* Dn. Georg. Fransk. *in Pandect. tit. de jurejurando. num. 15.* Ac ita mecum cenſent Sylveſter à Peiriera *in Summa Sylveſtr. verb. Juramentum. 1. quæſt. 1. n. 2.* Domin. Soto. *d. quæſt. 1. art. 1. in med. & fin.* Valer. Reginald. *in Praxi Pœnitent. lib. 18. cap. 1. num. 2.* Panormit. *ad cap. etſi Chriſtus. num. 3. X. de jurejur.* Jerem. Setſer. *de jurament. lib. 1. cap. 15. num. 38.* Tholoſan. *dict. lib. 50. c. 4. num. 29.* Ex quibus jam deductis conſequitur, quod Princeps, qui per ſalutem aut adjutorium reſpectu Numinis Divini jurat, ita ſeſe ſubjiciat ultioni divinæ, ex qua ſua ſalus pendet, cuique eam devovet, ſi ſciens fallat, ac ſi juramentum corporale, erectis digitis & tactis Evangeliis præſtitiſſet. Hilliger *in Don. Enucl. libr. 24. cap. 13. lit. E.*

XXXVII. Hinc abunde pateſcit, quam frivola ina-

nis & ludicra fuerit exceptio, *Cujuſdam Nobilis*, qui cum Uxoris juratam renunciationem futuræ ſucceſſionis bonorum omnium, ante conſummatum matrimoniũ, æquè ratificaverat, & annexis aliis clauſulis prægnantibus, hiſce verbis: Alles bey unſern Ehren/ Würden/ Trawen/ Glauben und wahren Worten/ ſo wahr uns Gott helff. confirmaverat; corroboratam inſuper ſuâ ſubſcriptione & ſigilli appoſitione; Poſtea pœnitentia ductus, elapſis paucis annis tam ſuo quam uxoris nomine, hanc ab uxore juratam & ab eo iterum jurejurando confirmatam Renunciationem in Judicio per quosdam oblatos Supplices libellos, quaſi læſione enormi circumventus, Socero ſuo litem moviſſet. Ei verò à Socero utpote Reo Convento exceptio jurisjurandi, utpote exceptio litis finitæ, oppoſita fuiſſet. Actor replicando, ſe nunquam juratò, uxoris Renunciationem corroboraſſe reſpondit; Quoniam verba, *ita me Deus adjuvet*, non verum juramentum inducant. Proinde Soceri exceptione non attenta, in judicio fuit auditus, ac litem nihilominus usque ad finem perduxit.

XXXVIII. *Sed malè*; (ſecundum Accurſium) non pauci cenſuerunt. Nam I. non vera eſt ſententia, ſed magis opinio erronea, Cardinalis *in cap. præterea. de Sponſal.* affirmantis: Nusquam dici quempiam perjurum, nec quoad perjurii reatum, cenſeri juramentum præſtitum, niſi fidem interpoſuerit expreſsè per verbum: *Juro.* Reſpondetur enim cum Imperatore Gordiano *in l. 10. C. locati. Viam veritatis ignoras.* Siquidem hanc opinionem tanquam falſam, meritò refutat Covarr. *in cap. quamvis. de pactis. in 6.* Ac hiſce effugiis jam

 dudum

dudum Iſiodorus præcluſit viam: *Quacunque* (ſcribit) *arte verborum quiſpiam juret, Deus tamen, qui conſcientia teſtis eſt, ſic illud accipit ſicut ille, cui juratur intelligit.* Chriſt. Beſold. *de arcan. Rerumpubl. cap. 1. num. 10. circ. fin.* Cum in foro animæ juramentum ſecundum mentem ejus cui juratur, interpretetur *per cap. ad aures. cauſ. 22. quæſt. 5.* Michael Ferro Maurrique *de different. utriusque fori. Obſervat. 68. n. 2.* Ad juramenti enim vim & religionem ſatis eſt, ut Deus in teſtimonium advocetur, ſicuti ex ſupra dictis definitionibus patet. Deus autem in teſtem veritatis advocari poteſt, absque ſpecifica mentione hujus verbi *Juro. per cap. Etſi Chriſtus & cap. Ego N. X de jurejur. Cap. & jurabunt. cauſ. 22. quæſt. 1.* Quibus textibus probatur, poſſe juramentum præſtari absque hoc verbo, *Juro.* Unde optimè ſcribit *Nicolaus de Tedeſchis Abbas Panormitanus:* Ad ſubſtantiam juramenti non eſt neceſſe quod exprimatur verbum *Iuro*; ſed ſatis eſt quod ad confirmationem veritatis quiſpiam interponat ipſũ Deum explicitè aut implicitè. Et hoc authoritate *textin cap. Ego N. ibi:* fidelis ero. Sic me Deus adjuvet. *X. de jurejur.* Panormit. *ad cap. quarelam 10. n. 6. & ad cap. Etſi Chriſtus 26. num. 3. X. de jurejur.* Dn. Georg. Fransk. *lib. 2. Var. Reſol. quæſt. 1. n. 18. & paſſim.* Ac benè confert huc quod Matthæus Weſenbeccius *conſil. 52. num. 19.* tradit: *Quocunque modo conſenſus exprimitur erga Deum & Sacra, obligatus eſt jurans: Ideoque qualitercunque ſit præſtitum jusjurandum, quamvis non corporaliter, ſervari* debet. *per cap. ad aures.* Ubi Panormit. *num. 3. X. de his quæ vi metusvè cauſ.* Et hoc ante eum Cynus *num. 4.* Bart. *n. 8.* Faber. *num. 1. in Auth. Sacramenta Puber. C. ſi adverſ. vendit.* Jaſon. *in l. 3. §. jurari. num. 3. D. de jurejur.* Quam aſſertionem conſuetudo ubicunque locorum obſervat, teſte Salyceto *in dict.*

Digitized by Google

dict. Auth. Sacramenta. num. 6. Unde Bolognetus ſcribit: *Summa igitur hac eſt, quod ſi juratur per Deum, ſufficit omnis forma, etiam nominando res ſacras, dummodo mentaliter invocetur nomen Dei ad hoc, ut incurrat in pœnam l. ſi quis. 41. C. de tranſact.* Johann Bolognetus *ibid. n. 58. in fin.* Nam in juramentis ſenſus potius quam verba ſpectantur. *per leg. qui per ſalutem D. de jurejur.* Ac plus ineſſe intelligitur quam dicitur. *per cap. anteceſſit. 11. quæſt. 3. & cap. beatus. 22. quæſt. 2.* Ita tradunt Sylveſter. *in ſumma. tit. de juramento art. 1. num. 2. & 7.* Domin. Soto *de juſtit. & jur. lib. 8. quæſt. 1. art. 1.* Valer. Reginald. *in praxi for. Eccleſ. lib. 18. cap. 1. num. 4.* Covarr. *ad cap. quamvis. part. 1. num. 13. & ſeqq. X. de pactis in 6.* Joan. de Sylva *de juram. part. 1. quæſt. pen.* Bolognet. *ad l. ſi quis major. 41. num. 58. C. de tranſact.* Jerem. Setſer. *de jurament. lib. 1. cap. 15. num. 50.*

XXXIX. *Nec relevat II.* Actorem ab incurſu perjurii, ſi dicat: Ad juramentum præſtandum ejusque pœnam incurrendam neceſſario verba requiri; Adeò ut verborum interpoſitio ad ſubſtantiam juramenti inducendam neceſſaria ſit, ſecundum *Novell. 17. cap. ſed neque 6.* ibi: Verba, id eſt, jusjurandum. *& per cap. penult. X. de jurejur.* Alber. Fulgoſ. & Roman. *in l. 1. D. de verb. obligat.* Bero *quæſt. 100. num. 4.* Tiraquell. *de legib. Connubial. Gloſ. 7. num. 18.* Joan. Gæddæ. *de ſtipulat. in præfat. n. 16.* Cypræ. *de ſponſalib. cap. 14. §. 26. num. 3.* Actorem autem Pactum renunciatorium ſubſcripſiſſe tantum hac clauſulæ adjectione; Ita me Deus adjuvet; Als mir Gott helffe; Non autem lingua & verbis pronunciaſſe & edixiſſe, ideò juramenti formam non interveniſſe. *Reſpondetur* enim negando; Juramenti enim forma etiam hæc eſt, ut quispiam in ſcriptis quoque jurare poſſit, nec ſemper verba

verba requiruntur. Licet enim verba juramenti dirigantur verſus partem, tamen intentio & effectus ſunt adverſus Deum, *arg. gloſſ. in cap. quoties cordis cauſ. 1. quæſt. 8.* Panormit. *in cap. 2. X. de Sponſal.* Ex qua oppoſitione infertur ad id quod notat idem Abbas Panormit. *ad Rubric. de jurejur.* dum concludit: Quod verba non ſint de neceſſitate juramenti. Cujus aſſertionis hæc redditur *Ratio:* Quoniam juramentum dirigitur principaliter verſus Deum, eundem invocando in auxilium promiſſionis & aſſertionis; Deus autem novit hominum mentes & corda, licet non loquamur. *per cap. ſi quid inveniſti. cauſ. 14. quæſt. 5. cap. erubeſcant. 32. diſtinct. 32.* Qui ſolus eſt teſtis & cognitor mentis noſtræ, juxta illud Pſalmiſtæ; *Scrutans corda & renes Deus.* Qui nec fallit nec fallere poteſt *cap. à nobis. 28. X. de ſentent. n. 5.* Ac invocatio Dei, verba externa non deſiderat, ſed ſola mentis oratione cujus Deus inſpector eſt & exactus agnitor perficitur: *per dict. Capit.* Franc. Suarez. *libr. 1. de juramens. cap. 1. n. 4.* Ideò qualiscunque conſenſus cum invocatione divina præſtitus, ſive verbis ſive literis, ad inducendum juramentum ſufficit, cujus contraventio perjurium inducit. *per dict. cap. erubeſcant.* Panormit. *Rubric. de jurejur.* Petr. Jacob. & Cyn. *ad auth. Sacram. puberum. C. ſi adverſ. vendit.* Covarr. *ad Rubr. de pact. in princ. num. 4.* Quod ádeò verum eſt, ut non ſolum de jure Civili & Canonico, ſed etiam de jure Gentium juramentum verba neceſſario non deſideret, ſed per omne aliud æquipollens ſignum ſenſibile, per quod interior animi conceptus ſufficiens explicatur, præſtari poteſt; Exemplo Imperatoris Juſtiniani *in §. ſi quis in nomine. 29. Inſt. de legat.* Sicuti enim nomina hominum: Ita & alia verba cæterarum rerum ſignificandarum gratia inventa

ſunt, quæ ſi alio modo intelligantur, nihil intereſt. Quo facit reſponſum Ulpiani *in l. quoties. 9. §. ſi quis. D. de hered. inſtit. Cum l. certum. 6. D. de reb. credit.* Adeò ut etiam in propoſito caſu inſtar Regulæ obſervandum; Quod ea quæ naturalia ſunt, & omnium gentium communia, non verbis neceſſariò, ſed etiam conſenſu (ſcilicet per nuncium, *Epiſtolam* aut nutu explicato) expediri poſſint. per text. *in l. 1. D. locati. juncta l. 2. D. de pactis.* Quod eleganter & latius explicat Dn. Fransk. *lib. 2. var. Reſol. 1. num. 30. & ſeqq.* Quod confirmat quotidiana *Imperij Praxis*; Indies enim accidere ſolet, ut Principes aliique Viri illuſtres in judicium vocati per Procuratores comparere ſoleant, quibus per ſcripturam in mandatis dant, non ſolum ut eorum nomine judicio ſe ſiſtant, & litem perſequantur, ſed ubi opus erit, in eorum animam juramentum præſtent; Etiamſi enim ipſe Principalis oretenus non juret, ſed ſcripto tantum juramentum per tertium deponat, id tamen æque pro juramento habetur, ac ſi in perſonâ propriâ viva voce jusjurandum præſtitiſſet. Ac ita nobiſcum cenſent, ultra allegatos Alciat. *ad Rubr. de jurejur. n. 12. & in parerg. lib. 8. cap. 2.* Fachinæ *libr. 3. cap. 8.* Borcholt. *de jurejur. cap. 1. num. 27.* Moller. *ad Conſtit. Saxon. part. 2. conſult. 36. num. 18.* Reginald. *in prax. fori pœniten. lib. 18. c. 1. n. 4.* Franciſ. Suarez. *lib. 1. de jurament. cap. 1. num. 4.* Qui hoc imprimis in juramento promiſſorio verum eſſe dicit. Et hanc ſententiam veram & communem dicit Menoch. *conſil. 37. n. 49.* Quod latiſſimè deducit & contrariis reſpondet Dn. Georg. Fransk. *d. Reſol. 1. per tot. lib. 2.*

XL. *Limitatur IV.* ſuperius tradita aſſertio, in *Renunciatione* filiarum illuſtrium & Nobilium. Quod tamen à quibus-

quibusdam controvertitur. Moris enim eſt & conſueſuetudinis non tantum in *Regno Neapolitano* & aliis *Italiæ* Provinciis, ſed etiam præcipuè in *Imperio Rom. Germ.* inter familias illuſtres & Nobiles, ut filiæ nubere volentes certâ dote conſtituta & accepta, bonis paternis quandoque etiam maternis, interveniente corporali juramento renuncient. *juxta cap. quamvis. de pactis in. 6.* Quod variis ex cauſis ſaluberrimè conſtitutum & moribus receptum eſſe, & quidem in commodum & favorem Maſculorum, qui familiam & agnationem eò ſplendidius conſervare poſſint, tradit Franc. Burſat. *conſ. 264. num. 10.* latè Paul. Gallerat. *tr. eleganti de renunciat. lib. 3. cap. 2. num. 44. & per tot. ac centur. 1. c. 25. per tot.* Brulæus & Kellenbenz. *tr. de renunciation. filiar. illuſtr. à princip.*

XLI. Hinc quæritur; *An Filia Principis aut Comitis Imperij acceptâ dote renuncians bonis paternis, ſub fide Principali aut Comitiali,* bey Fürſtlichen oder Gräfflichen Würden/ Ehren/ Traw und Glauben/ *non obſtante hac renunciatione, caſu eveniente, & mortuo patre, in bonis paternis ſuccedere poſſit?* Q. Sanè non deſunt rationes quæ quempiam movere poſſunt, ut cenſeat renunciationem per verba generoſitatis, ſatis firmam eſſe & validam ad excluſionem paternæ ſucceſſionis. Quoniam hæc verba regulariter juramento æquiparantur, & quoad obſervantiam, firmitatem & efficaciam, vim juramenti habent. *per text. in cap. pervenit. in fin. X de fidejuſſor. ibi:* ſi religionem fidei & juramenti ſui. Et *in cap. ad aures. X. de his quæ vi & metu.* Ubi parificantur jurare, vel religioſè data fide confirmare. Et ibi Panormit. *num. 3. & 4.* ac Auguſt. Barboſa. *n. 3.* Mynſing. *cent. 1. Obſerv. 17. n. 5. in fin.* Modeſt. Piſtor. *conſil. 19. num. 59. part. 2.* Cuno *de pactis lib. 1.*

Digitized by Google

cap. 14. n. 14. Ac quod in ſpecie verbum, **bey Fürſtlichen Würden/** κατ᾽ ἐξοχὴν, in Principe aut Comite quoad fidei obſervantiam effectum juramenti inducat, tradit poſt alios *arg. l. qui per ſalutem. 33. D. de jurejur.* Jerem. Setſer. *de jurament. lib. 1. cap. 16. n. 5.* Joan. Petr. Surd. *decis. 234. num. 5. & 6.* Barſchamp. *de clauſul. c. 32. §. 1. n. 22.* Hoppingk. *conſil. 2. fol. 180.* Cum verba Principis, etiam non jurata ob dignitatis ſplendorem debeant eſſe firmiſſima Mynſinger *dict. Obſerv. 17. n. 2. & 5.* ac perinde incurrat infamiam is, qui venit contra talem promiſſionem, ac is, qui violat juramentum. *per text. in l. ſi quis. 41. C. de tranſact.* Wehner. *in pract. Obſerv. verbo* **angloben.** Andr. Gail. *lib. 2. Obſerv. 59. per tot.* Quod latè deducit Bartol. Kellenbenz. *tr. de renunciat. ſucceſſ. Magnatum. quæſt. 3. num. 1. & ſeq.* amplificè Matth. Weſenbecc. *conſil. 23. n. 56.* Ita ſcribunt & ſentiunt Henning Gædden *conſil. 103. Coler. de Proceſſ. executiv. part. 1. c. 10. n. 246. & ſeq.* Henr. Breûl. *tr. de renunciat. cauſ. 3. cap. 7. per tot. ac conſil. ibid. annex. 1.* Cravetta *conſil. 421. n. 11.*

XLII. *Verum enimverò* R. hanc renunciationem ſub fide generoſitatis factam tantæ efficaciæ non eſſe, ut filiam illuſtrem (acceptâ licet dote etiam congruâ) à ſucceſſione & diviſione bonorum paternorum excludere queat. Recepta enim eſt Doctorum & communis ſenſentia, quod remedia reſciſſoria, quæ ob læſionem filiabus paternæ hereditati (data dote) renunciantibus indulgentur, non aliter niſi præſtito corporali juramento tollantur & removeantur: *per text. magiſtralem in famoſo cap. quamvis.* Ubi in ſpecie Philipp. Franc. & Auguſtin. Barboſa. *de pactis in 6. Quo facit: l. 3. C. ſi minor ſe major.* Jaſon. *& DD. in Auth. Sacramenta puber. Cod. ſi adverſ. vendit.*

vendit. poſt alios Matth. Weſenbecc. *conſil. 23. n. 13.* Petr. Weſenbecc. *conſil. 15. num. 97.* Mulier enim jure Civili ob fragilitatem ſexus non poteſt conſentire alienationi fundi dotalis, aut renunciando deteriorem dotis conditionem efficere. *per l. de die. D. de pact. dotal.* Cujus juris conſtituti *Ratio* hæc eſt; Ne Sexus muliebris fragilitas in perniciem ſubſtantiæ convertatur. *in fin. princip. Inſtit. quib. alien. lic. vel non.* Ac ne Mulier fragilitate naturæ ſuæ in repentinam deducatur inopiam. *l. un. §. & cum. C. de rei uxor. action.* Paul. Gallerat. *de renunciat. lib. 3. cap. 2. num. 32.* Anton. Bellon. *conſil. 54. num. 12. & 13.*

Ex qua ſanè ratione legibus quoque cautum eſt, ut pactum à filia factum patri acceptâ dote de non ſuccedendo in bonis paternis non valeat. *per text. in l. pactum dotale 3. C. de collat.* Tiraquell. *de jure primogenit. quæſt. 6. num. 18.* Gutierez. *de jurament. confirmat. part. 1. c. 59.* Anton. de Petrucia *de effectib. juram. effect. 5. in princip.* Ubi rationes varias adducit. Borcholt. *de pactis cap. 5. n. 61.* Seraphin. *de privileg. jurament. privil. 21.* Ubi Benckend. *num. 4.* Joan. Anton. Bellon. *conſil. 54. n. 12.* Ubi infinitos allegat. poſt alios Auguſt. Barboſa. *ad caput quamvis. num. 2. X. de pactis.*

XLIII. Cum igitur Mulier non poterat de jure Civili renunciare iis legum auxiliis, quæ inducta ſunt, ut occurratur ejusdem fragilitati; neceſſario confugiengum erat ad juramentum, quod optimum eſt remedium ad tollenda legis auxilia, ſicuti patet *in cap. cum contingat.* ubi Abb. Panormit. & Canoniſtæ. *X. de jurejur.* Nam quamvis mulieris conſenſus in hujusmodi negotiis non videatur obligatorius prohibente lege: Juramentum tamen operatur, ut mulier non poſſit contra-

venire, non obſtante legis prohibitione. Quo ipſa obligatur Deo & quod principaliter in Deum dirigitur. *per cap. debitores. de jurejur.* Siquidem Deus præcepit: Redde Deo juramenta tua. *in cap. etſi Chriſtus. X. de jurejur.*

Siquidem renunciatio ſimplex & renunciatio jurata maximè diſtinguuntur; cum à promiſſione jurata propter religionem juramenti neutiquam recedendum ſit. *per dict. cap. cum contingat. 26. X. de jurejur.* Carpzov. *in jurisprud. Forenſ. part. 2. Conſtit. 17. definit. 5.* Jacob. Brandmyller. *tr. de different. inter jus. Civ. & Canon. verb. Renunciatio.* Dn. Thumm. *de jurament. fol. m. 95.* Lex enim Civilis conſideravit ſolam promiſſionem, quæ fit homini impediendo obligationem quærendam ipſi homini; Accedens autem juramentum ſuper diſpoſitione rerum ſuarum omnino ſervari debet, ceſſante ſcilicet fragilitatis ratione, ſiquidem jurans oſtendit deliberatam & enixam voluntatem, propter certiorationem interpoſitam. *per l. cum pater. §. filius matrem. ibi:* enixæ voluntatis. *D. de legat. 2.* Nec continet talis renunciatio ullam turpem promiſſionem, dum mulier jurans ſolum agat, ut de jure ſuo quidpiam remittatur. Unde Doctores dicunt; Quod juramentum habeat vim ſpecificæ expreſſionis & ſuppleat omnem certiorationem. Joan. Gædd. *Conſil. Marp. 24. num 181. vol. 1.* Joan. Anton. Bellon. *conſil. 57. n. 45.* Fr. Niger Cyriac. *controverſ. 474. num. 5. & 6.* Ac ne humanæ fragilitatis prætextu contingat viam aperire perjuriis. *dict. cap. cum contingat. X. de jurejur.* Philipp. Franc. *ad cap. quamvis de pactis in 6. per tot.* Quod latè & eleganter deducit Paul. Gallerat. *in dict. tract. lib. 3. cap. 2. num. 36. 39. & 40.* Seraphin. *de privileg. juram. Pr. 19. n. 2. ac privil. 64.* Anton. Merenda *controverſ. jur. lib. 1. c. 2. num. 12.* Zaſius *ad tit.*

C. d.

C. de pactis. quaſt. 14. & 15. Dn. Georg. Franſk. *lib. 2. var. Reſol. 3. num. 17. 21. & per tot.* Hinc Pontifex in quæſtione noſtra conſtituit; *Quamvis pactum factum Patri à filia (dum nuptui traditur) quod dote contenta nullum habeat regreſſum ad bona paterna, ſecundum leges non valeat: Si tamen juramento, nec vi nec dolo præſtito firmatum fuerit ab eadem, omninò ſervari debebit; Cum non vergat in æternæ ſalutis diſpendium, nec redundet in alterius detrimentum.* Quod Pactum ſeu renunciatio de non ſuccedendo ob vim juramenti, & ob metum divini numinis non poteſt nec debet reſcindi. *per cap. Quamvis 2. de pactis in 6.* Ubi Auguſtin. Barboſa. *num. 4.* Et omnes Canoniſtæ. *in cap. contingat. X. de jurejur.* Fuſcus *in ſingul. lit. F. ſingul. 101. & 103.* Anton. Gomez. *ad l. Tauri 22. num. 6. & ſeq.* Alvar. Valaſc. *in partit. cap. 16. n. 3. & ſeq.* Jacob. Menoch. *conſil. 335. in fin.* Anton. de Petruccia *de effectib. juram. effect. 5. per tot.* Joan. Anton. Bellon. *conſil. 54. num. 3. & 4.* Anton. Merenda *controverſ. jur. lib. 1. cap. 2.* Franciſc. Marta *de ſucceſſ. legali. part. 4. quæſt. 25. art. 1. n. 31.* Jacob. Brandmyller. *de different. jur. Civil. & Canon. verb. Succeſſionis renunciatio.*

XLIV. Proinde cum vis, robur & firmitas hujusmodi renunciationis unicè in juramento & numinis divini invocatione conſiſtat. *per d. cap. quamvis. ibi:* firmatum *de pactis in 6.* Ideò Doctores unanimiter tradunt, & ex indiſputabili conſequentia concludunt, quod ad validitatem renunciationis ſeu pacti de non ſuccedendo, pro forma ſubſtantiali juramentum realiter præſtitum requiratur. Joachim Beuſt. *ad l. admonendi. n. 874. verſ.* primus eſt. *D. de jurejur.* Borcholt. *de pactis cap. 5. n. 61.* Joan. Dauth. *ad d. cap. quamvis. num. 22.* Modeſt. Piſtor. *conſil. 19. num. 47.* Jerem. Setſer. *de jurament. libr. 1.*

cap. 16.

cap. 16. num. 17. Ubicunque igitur juramentum & divini numinis invocatio pro forma ſubſtantiali in actu aliquo requiritur, ibi illud per æquipollentia verba, veluti an Aydsſtatt/ oder bey Fürſtl. Gräfflichen wahren Worten Traw und Glauben non adimpletur & firmatur; nec fidei præſtatio pro juramento habetur. *per cap. inteſtabile. in verbo. additio. X. de frigid. & maleficiat.* Ac ea, quæ ſunt de forma & ſubſtantia debent eſſe contemporanea & ſimul explicari. *per l. 8. §. 17. D. de tranſact.* Hippolit. de Marſil. *conſil. 29. num. 16. & 17.* Non enim eſt idem, quod ponitur pro eodem. *gloſ. in l. merces. D. de verb. ſignif.* Bald. *conſil. 12. num. 4.* Ac juramentum præſtari debet ſpecificis verbis, non relatione ad aliud, *per cap. pen. ubi Abb. Panormit. X. de jurejur.* Ita tradunt in terminis Bald. *in cap. etſi Chriſtus. num. 8. X. de jurejur.* Guilielm Benedict. *in cap. Ragnutuis. verb. Duos habetis filios. num. 217.* Qui regulam tradit: Ubicunque actus non tenetur ſine juramento, ut in caſu futuræ ſucceſſionis paternæ & ſimilibus, tunc juramentum eſt de ſubſtantia contractus, cujus omiſſio vitiat actum ipſo jure. Modeſt. Piſtor. *conſil. 19. num. 42. lib. 2.* Joan. Dauth. *ad cap. quamvis. part. 3. num. 21. de part. in 6.* Benkendorff. *ad Seraphin. de privileg. juram. privileg. 21. num. 6.* Petr. Weſenbecc. *conſil. 15. num. 97.* Bartol. Kellenbenz. *de renunciat. fil. illuſtr. quæſt. 3. per tot.* Jerem. Setſer. *de jurament. lib. 1. cap. 16. n. 17.* Nicol. Betſ. *de pact. famil. illuſtr. c. 7. fol. 267.* Joſias Nolden. *de nobilit. cap. 12. n. 68.* Chriſtoph. Cruſius *de indiciis delict. part. 1. cap. 98. num. 25.* Herm. Vult. *conſil. Marpurg. 17. n. 52. vol. 1.* Matth. Weſenbecc. *conſil. 23. num. 13.* Rutger. Ruland. *de Commiſſar. part. 2. libr. 2. cap. 11. num. 36.* Et ita reſpondit cum Hochmanno, Facultas juridica apud Beſold. *conſil. 13. per tot.*

XLV. *De-*

XLV. *Declaratur I.* hæc affirmativè reſoluta quæſtio; Niſi *Conſuetudine* introductum, aut in familia illuſtri receptum eſſet, ut renunciationes iſtæ ſine juramento ſub fide tantum factæ, firmæ manere deberent. Nam contractus ſecundum morem regionis & vicinitatis, ubi celebratur, regulari debet. *per l. ſi fundus. D. de evictiom. Fulgoſ. conſil. 72. num. 2.* Ac omnis diſpoſitio ſive legis ſive hominis, ſive inter vivos, ſive in ultima voluntate ab ipſa obſervantia declarationem recipiat, *l. ſed Julianus. §. proinde. D. ad Sc. Macedon. l. non poſſunt. 12. D. de legib.* Menoch. *conſil. 49. n. 20. & ſeq. vol. 1.* Surd. *conſil. 224. n. 7. vol. 2.* Doctor Marta *de ſucceſſ. legal. part. 4. quæſt. 6. art. 4. n. 1.* Ita in terminis Hippol. Riminald. *conſil. 164. num. 26. & ſeq. lib. 2.* *Declaratur II.* niſi juramentum corporale à parte *remiſſum* fuerit. Siquidem pro jurante habetur, qui jurare debet, ſi juramentum ei remiſſum fuerit. *per l. actori. ubi gloſſa. C. de reb. credit. l. ſi non fuerit. 37. D. de jurejur. cap. tuis. 39. X. de teſtib.* Farinac. *de teſtib. quæſt. 74. num. 83. & ſeq.* Gail. *1. Obſervat. 101. n. 3.* Dn. Balth. Cunrad. Zahn. *in eleganti tr. de mendac. lib. 3. cap. 10. per tot.* Quamvis de hac declaratione dubitari poſſit cum diſſentiente Joach. Beuſt. *in l. nam poſtquam. §. jurejurando. num. 12. verſ. non obſtat. de jurejur.* Benckendorff. *ad Seraphin. privileg. 21. num. 9.* Quod ſi tamen *Filia illuſtris* corporaliter manum Notarii tangat, hoc vim ſpecialis juramenti realiter præſtiti habere tradit Matth. Weſenbecc. *d. conſil. 29. num. 20.* Adrian. Gilman. *lib. 1. deciſ. 14. num. 28.*

XLVI. Quæritur ulterius; *An ſi Princeps, aut Comes Imperij in cautione aliqua vel Chyrographo quodam* in einer Hauptverſchreibung *per verba juramento æquipollentia*, bey Fürſtli-

chen oder Gräfflichen Worten/ Trawen und Glauben ſe ſe obliget, *contra eum mandata ſine clauſula in Camera Imperiali decernantur?* Ac in effectu *an verba iſta paratam executionem inducant?* Sanè hæc quæſtio diu in *Camera Imperiali* agitata fuit, ſicuti animadvertere licet apud Petr. Frider. Mindan. *lib. 2. de mandat. cap. 71. num. 7.* Ubi aſſerit, mandata executorialia non eſſe deneganda, quoniam verba bey Fürſtlichen oder Gräfflichen Ehren und Würden/ verum jurisjurandi effectum habeant. Hinc in Judicio Cæſareo Rothvvilenſi, promiſſio ſub fide data, vocatur, Gelübde/ & inter Ehehafften refertur. Hoffgerichts-Ordn. zu Rothweyl. *part. 2. tit. 5. num. 23.* Gyland. *deciſ. 32. num. 10. & 12. lib. 2.* Ita authoritate Bartoli *in l. 2. D. de jurejur.* Sichard. *ad l. fin. n. 13. C. de edict. Div. Hadr. tollend.* Paul. Wehner *in Obſerv. Pract. verb.* angloben. & verb. bey Fürſtlichen Würden. *Verumtamen* utcunque hæc ex ſupra dictis pro & contra diſputari poſſint, præſertim ſecundum ea quæ ſcribit Rutger. Ruland. *de Commiſſar. & Commiſſion. part. 2. lib. 2. cap. 11. num. 26. & ſeqq.* negativa tamen ſententia verior eſt. Sicuti huic controverſiæ finem impoſuit Pragmatica ſanctio An. 1600. Spiræ edita, eaque Negativa. *In verbis:* Daß ſolch der Verſchreibung einverleibtes Juramentum, welcherley geſtalt daſſelbe vorgangen/ viam executivam nicht verurſachen/ noch deßwegen mandata ſine clauſula zuerkennen/ ſondern als ein Beſtärckung und Bekräfftigung derſelben zuhalten ſeyn ſolle. Deputat. Abſchied zu Speyr de Anno 1600. §. Wann in einer Verſchreibung. Quoniam hæ clauſulæ magis ex uſu & obſervantia Notariorum quam ſingulari prius interpoſita certioratione inſtrumentis obligatoriis inſeruntur. Joſias Nolden. *de nobilit. cap. 12. num. 47.* Anton. Freundeberg. *de reſcript. morat. cap. 30. in fin. fol. m. 312.*

CAPUT VII.

De remiſſione juramenti; ac an Princeps atteſtans in judicio tanquam Teſtis, ſub fide Principali, nihilominus corporale juramentum præſtare teneatur?

SUMMARIA.

I. *Q. An teſtimonium ſub fide Principali depoſitum habeat vim juramenti? Affirmatur, in caſu, quo partes litigantes juramentum remittunt.*

II. *Q. An, ſi Partes juramenti præſtationem remittere nolint, ad eam cogi poſſit Princeps Imperij? Affirmatur, & probatur aliquot rationibus.*

III. *Confirmatur communi calculo Practicorum, & quidem Praxi Imperij R. G; in ſpecie exemplo Julij Ducis Brunſvvicenſis & Henrici II. Galliarum Regis.*

IV. *Negativa ſententia præfertur priori, ob præſumptionem juſtitiæ in Principe, curam Authoritatis, & alia.*

V. *Illuſtratur exemplo Xenocratis & Xenophontis; atque ulterius confirmatur.*

VI. *Illuſtratur exemplo Abbatiſſæ cujusdam renuentis juramentum; & additur Rulandi conſilium in hoc caſu; conſuetudo item in Auſtria, Bohemia, Bavaria, & alibi recepta.*

I. SÆpius accidit, ut Principes, Comites, aliivè Illuſtres Imperii Status, ut teſtes provocentur, vel ab aliis Illuſtribus perſonis, vel à privatis, quandoque etiam à propriis ſubditis; Et quidem vel in judicio Imperialis Cameræ vel in alio inferiori judicio. Unde regulariter diſputatur de forma teſtimonium ferendi.

di.

di. Principes enim vel Comites excuſationis loco petere ſolent, ſie bey ihren Fürſtlichen oder Gräfflichen Ehren/ Traw und Glauben zulaſſen. Hanc enim atteſtationem habere vim & effectum juramenti, ac idem eſſe, ac ſi juraſſent; tradunt poſt alios Hieron. Schurff. *conſil. 62. num. 10. & ſeqq. cent. 3.* Coler. *de Proceſſ. Execut. lib. 1. cap. 10. num. 251.* Joan. Meichsner *tom. 1. part. 1. deciſ. Camer. 30. circ. fin. fol. m. 455.* Modeſt. Piſtor. *conſil. 19. num. 59. part. 2.* Quod ſi partes litigantes Principis aut Comitis Imperii petitioni aſſentiant, & juramentum remittant, ſalva res eſt, ac aſſertio ſub fide dignitatis pro juramento realiter præſtito habetur. *per cap. Tuis 39. X. de teſtib.* Idem enim eſt, eundemque effectum habent, juramentum præſtare, aut juramentum remittere. Ita namque reſcriptum eſt ab Imperatore Antonino: Cauſam jurejurando præſtito vel remiſſo deciſam, ne perjurii quidem prætextu retractari poſſe. *in l. 1. C. de reb. credit.* Paul. *lib. 2. ſent. tit. 1. §. 3.* Hinc Imperatores Diocletianus & Maximinus ſimiliter reſcripſerunt: Actori delato vel relato juramento, ſi juraverit, vel ei remiſſum ſit ſacramentum, ad ſimilitudinem judicati, in factum actionem competere. *l. actori, C. dict. tit.* Vid. poſt plures Farinac. *de teſtib. quæſt. 74. num. 83. & ſeqq.* Gail. *lib. 1. Obſerv. 101. n. 3.* Jerem. Setſer. *de jurament. lib. 4. cap. 6. num. 26.* Benckendorff. ad Seraphin. *de privileg. juram. Pr. 21. num. 8.*

2. II. *Quæritur autem, ſi Partes Principi Imperii, aut alii illuſtri Perſonæ juramenti corporalis præſtationem remittere nolint; An à Judice vel Commiſſario cogi poſſint,* ad præſtationem juramenti corporalis, daß ſie einen leiblichen Ayd ſchwehren? *Ac annon aſſertio ſub fide Principali hunc præſtationis*

nis defectum ſupplere poſſit? Equidem Doctores communiter in eam abeunt ſententiam: *Omnes Perſonas*, cujuſcunque ſint dignitatis, ſive Principes ſive Comites, imò etiam Epiſcopos & Cardinales, partibus petentibus jurare teneri, & ad id cogi poſſe, nec aliàs eorum teſtimonio fidem haberi. *per text. in l. jusjurandi. 9. in princ.* ibi: arctari præcepimus. *C. de teſtib. cap. nuper. 11.* ibi: quantumcunque religioſus: *cap. quoties. 3. X. de teſtib.* Præſtatio enim Juramenti ad fidem teſtimonii eſt ſubſtantiale quidpiam. *per dict. text. in l. jusjurandi & cap. tuis 39.* ibi abſque juramenti exhibitione *X. de teſtib.* favore partium introductum. latè poſt alios Maſcard. *d. probat. concluſ. 1362. num. 2.* Cum tota vis & poteſtas atteſtationum ex teſtium jurejurando pendeat, nec aliter fidem faciant cujuſcunque dignitatis, quam ſi juratæ ſint. Quod poſt jam allegatas leges & canones tradit Ferrarienſ. *in Prax. tit. Form. juram. teſt. verb. Conſtituti & verb. Delato prius.* Anton. Faber *in C. tit. d. teſtib. defin. 8.*

Unde Doctores dicunt, juramenti præſtatio eſt de forma teſtimonii. Dec. *conſil. 472. n. 2.* Caſtrenſ. *conſil. 70. num. 4. libr. 1.* Marſil. *in praxi verb. diligenter. n. 65. & ſeqq.* Maſcard. *d. concluſ. 1362. num. 3.* Quæ per æquipollens, à nullo, cujusvis dignitatis adimpleri poteſt; Siquidem formæ natura æquipollens non admittat. *per text. in l. 3. §. fin. cum l. ſeq. & l. qui per ſalutem 33.* ibi: ſi non ita ſpecialiter, juraſſe non videtur. *D. de jurejur.* Poſt alios Surd. *d. aliment. tit. 5. quæſt. 3. n. 16.* Monach. *deciſ. Lucenſ. 18. num. 2.* Novarius *deciſ. Apuliæ. 120. n. 3. ac deciſ. 147. num. 7.*

III. Et hanc eſſe commuem ſententiam Practicorum & in judiciis ſtrictè obſervari teſtatur poſt allega-

tos Farinac. *de teſtib. quæſt. 63. num. 68. & 69.* Bajard. *ad Clar. §. falſum. num. 58.* Maſcard. *d. probat. concl. 5. n. 78. & concluſ. 270. num. 5.* De Principibus præſertim Germaniæ idem aſſerit Reuber. *de teſtibus part. 3. num. 56.* Beuſt. *ad l. admonendi. num. 120.* Beſold. *d. majeſtat. cap. 9. num. 4.* Bernh. Græven. *concluſ. 101. conſid. 5.* quod latius deducit & contrariis rationibus reſpondet Dn. Bocer. *tr. de homicid. lib. 1. cap. 3. n. 22. & ſeqq.* Nec Principum & Comitum Imperii aſſertiones injuratas in Camera imperiali admittendas eſſe, tradit per varias rationes & præjudicia Comitum Imperii Rutg. Ruland. *d. commiſſar. part. 2. lib. 2. cap. 11. num. 45. & ſeqq.* Ita in cauſa Tangelii, Illuſtriſſimum quondam Principem, *Julium Ducem Brunſwicenſem* in propria perſona juramentum teſtis (den Zeügen Ayd) præſtare coactum fuiſſe, una cum alio præjudicio refert Jac. Schultes. *in addit. ad Coler. deciſ. 115. num. 28. & paſſim.* Pari ratione Galliarum Regem *Henricum II.* in cauſa quadam graviſſima, ad modum privati, & quidem juratò teſtimonium dixiſſe coram Judicibus refert Johann. Bodin. *de Republic. lib. 6. cap. final. num. 757.*

IV. Utcunque autem hæc ita contra Principalem dignitatem Statuum Imperii diſputentur, *mihi certè incivile* & *durum* videtur, Principes & Status Imperii in quavis cauſa privata ad juramenti præſtationem adigere velle, atque exinde eorum innatam fidem, candorem & integritatem tentare ambiguam. Conſtat enim Principem juſtitiæ plenum præſumi, omnia deliberatè, prout illuſtri dignitati convenit, agere, ac ideò dubitandum non eſt, quin verum dicat. Nicol. Rucker. apud Kirchov. *conſil. 27. num. 20. vol. 4.* Mynſing. *Reſponſ. 64. num. 21.*

num. 21. Conſil. Argentorat. *65. n. 48. & ſeq. ac conſil. 95. num. 25. vol. 2.* Unde dicto Principis plus credi, quam Inſtrumento Notarii tradit poſt Andr. de Iſernia. Matth. Weſenbecc. *conſil. 3. num. 71.* Proinde ejusdem aſſertio ſub fide dignitatis (bey Fürſtlichen Ehren / Traw und Glauben) facta æquè fidem plenam merebitur, ac ſi jurato aſſertionem ſuam conteſtatus eſſet, ſecundum ea quæ ſupra dicta ſunt. Principes enim in aſſertionibus ſuis Jus Divinum & Naturale inſpicere ſolent, quo jure nulla eſt differentia inter juramentum & ſimplicem loquelam. *can. juramenti. 12. cauſ. 22. qu. 5.* Ac Principi plus curæ eſſe ſolet publica honeſtas & aſſertionis ſinceritas, propter reputationem & dignitatem Status ſui, quam Privato juramenti veritas. Cui præcipua rerum ad famam dirigitur, nam contemptu famæ, contemnuntur virtutes. Tacit. *lib. 2. cap. 2. n. 1.* Hinc Jure conſtitutum legimus, Teſti in dignitate conſtituto magis credendum eſſe, quam ſimplici Privato, ideò dignitas fidem auget. *per text. elegantem in l. 3. in pr. & §. 1,* ibi: & cujus dignitatis & cujus exiſtimationis. *D. de teſtib.* Præterea jure Civili conſtitutum legimus, immunitatem jurisjurandi in dictione teſtium *Epiſcopis* poſſe tribui, idque propter juramentum epiſcopale. *per Auth. ſed Judex. C. de Epiſcop. & Cleric.* Gloſſ. *in l. jurisjurandi. D. de teſtib.* Rutger. Ruland. *de Commiſſar. part. 2. lib. 2. cap. 11. num. 17.*

V. Exinde ſanctitati & ſinceritati *Xenocratis* tantum apud Athenienſes olim tributum fuiſſe legimus, ut cum aliquando teſtimonium dicere coactus, ad aram jurandi cauſa acceſſiſſet, univerſi conſurrexerint Judices, &, ne juramentum daret, proclamaverint. Freher.

d. exi-

d. exiſtimat. lib. 2. cap. 6. num. 18. Hinc *Xenophon*, quia erat perſona publica, à Judicibus cum in teſtem produceretur jurejurando non aſtringebatur. Diogen. *lib. 4. in vita Xenophontis.* Certè durum, imò turpe erit, ac Principali reputatione indignum (juxta Bachov. *2. ad Treutl. diſput. 12 theſ. 1. lit. A. verſ. vulgata. hodierno uſu. in med.*) Principum ac Comitum Imperii legalitatem & candorem Privatorum libidini indifferenter exponere, ac ut fides eorum pro lubitu litigantium in dubium vocari poſſit, legibus permittere, pro quibus jura aliàs tantam integritatem præſumunt. *per dict. l. 3. in princ. & §. 1. D. de teſtib. Novell. 90. cap. 2.* Vult. *conſil. Marpurg. 18. n. 120. vol. 3.* Schrader *de feud. part. 9. part. 2. princip. Sect. 12. num. 19.* poſt allegatos Joſ. Nolden. *de nobilit. cap. 12. num. 7. & paſſim.* Cum juramentum Teſtis non tam publicam utilitatem, quam favorem partis, contra quam producitur, reſpiciat. Gail. *lib. 1. Obſerv. 101. n. 3. & ſeq.* Freher. *dict. cap. 6. n. 18.* Ac quod Princeps in cauſa Subditi juramentum præſtare non teneatur, deciſivè tradit Joan. Coraſ. *in Senatus Conſult. Tholoſ. 76. Cent. 1.*

Si ergò Imperii Princeps juramentum Teſtis præſtare recuſet, eum compulſorialibus cogi non poſſe cenſeo, ſed tota quæſtio cum omnibus circumſtantiis ad Imperatorem Romanum immediatè remittenda erit, qui habita ratione qualitatis cauſæ, Judicis ac Perſonarum litigantium, an Illuſtres an Subditi ſint, nec ne? de juramenti præſtatione conſtituit; ſiquidem communis traditio exiſtit, ſummum Principem poſſe decernere, ut teſtibus injuratis plenè credatur: ſecundum tradita Gail. *lib. 1. Obſervat. 101. num. 14.* Et hoc cum eo Farinac. *d. teſtib. quæſt. 74. num. 60.*

VI. Et hoc quodam Imperii præjudicio illuſtratur; Nam

Digitized by Google

Nam cum Abbatiſſa quædam ein gefürſte Aeptiſſin/ immediatè Imperio ſubjecta, à Vaſallis in teſtem adducta eſſet, petiit ſibi juramentum corporale non deferri, ſed in ejus locum promiſſionem bey Fürſtl. Ehren/ accipi. Et ad id obtinendum, tres allatæ fuêre rationes.

Prima quod eſſet ein gefürſte Aeptiſſin. *Secunda*, quod erat ægrota. *Tertia*, quod utraque pars, & producens, & is contra quam producebatur, eſſent ejus Vaſalli. Cum autem pars, contra quam producta erat, nollet remittere juramentum, Commiſſarius, bis tervè petiit, ut Abbatiſſa præſtaret juramentum corporale, aliâs ſe vigore commiſſionis coram ipſa procedere neceſſitate quadam cogi, illa verò renuebat. *Commiſſarius* cum ſe parum efficere videret, rem ad Cameram detulit, ibidemque reſolutionem hujus puncti petiit. Hæc Rulandus *de Commiſſar. part. 2. lib. 2. cap. 11. n. 48.* Qui inſuper circa validitatem ſtatuti teſtium juramentum remittentis, Commiſſario conſilium ſubminiſtrat, ut imprimis inquirat, de quibus Perſonis ſtatutum loquatur. Si enim de illuſtribus Perſonis diſponit, illud ſequendum eſſe; Quoniam Perſonæ illuſtres in materia teſtium in multis ſint privilegiatæ. Ruland. *d. tr. de Commiſſar. part. 2. lib. 2. cap. 11. n. 8.* Ita in *ArchiDucatu Auſtriæ*, ac *Regno Bohemiæ* ex ſingulari privilegio & longa obſervantia receptum eſt, ut Illuſtres ac Nobiles, ſolâ ſcripturâ, proprio ſigillo munitâ, absque juramenti corporalis præſtatione, teſtimonium dicant. Idque ſimili modo in Bavaria quoque & aliis locis receptum eſſe, teſtatur Andr. Gail. *dict. Obſervat. 101. num. 14.*

Digitized by Google

CAPUT VIII.

De pactis & promiſsis ex neceſsitate publica, per vim aut metu majoris mali expreſſis & extortis.

SUMMARIA.

I. Variæ Authorum ſententiæ de vi neceſſitatis afferuntur.

II. Dicta Chryſoſtomi, Innocentii, & aliorum, de jure neceſſitatis.

III. Proponitur Quæſtio: An promiſſa ex neceſſitate publica, ſint obligatoria? Negativam defendens allegatur Machiavellus, & huic conſentiẽtes Statiſtæ, cum nonnullis exemplis.

IV. Allegatur Exemplum Ducis Burgundiæ; dictum Ducis Urbini; & Exemplum Franciſci I. Galliarum Regis.

V. Allegatur Exemplum Caroli V; Mariæ Scotiæ Reginæ; Caroli IX. Gall. Regis; & mos hodiernorum in communi, in ſpecie autem Hiſpaniæ Regis.

VI. Pro firmanda hac ſententia Statiſtæ ad prætextus Iuris recurrunt. Additur conſilium Machiavelli & aliæ quædam rationes.

VII. In ſpecie, nec contractus, nec ſententias, nec ceſſiones, nec promiſſiones, metu factas valere, adſtruitur ex variis Authoribus, & rationibus Caſiſtarum confirmatur.

VIII. Id ulterius roboratur, præſertim eo in caſu, ubi periculum amiſſionis bonorum omnium, vel etiam non omnium inducit juſtum metum; additur ratio Caſiſtarum.

IX. Author aſſumit contrariam ſententiam, eamque probat eſſe de Iure Gentili & Morali. Fidei item elogia ab antiquitate, robore, gloria, &c. adfert; cũ exemplo Romanorum.

X. Adferuntur aliæ rationes, ab autho-

authoritate Principis, ab obligatione Legis naturæ, & Iuris Gentium; & adduntur teſtimonia Patrũ atque aliorum.

XI. *Refutatur Machiavellus. Adduntur exempla Pœnorum & Parthorum.*

XII. *Adferuntur teſtimonia & exempla variorum, è quibus patet, quantis periculis & difficultatibus obnoxia ſit Machiavelli ſententia.*

XIII. *Reſpondetur ad rationes contrarias, 1. fidem & fortitudinem ſemper obſervandam eſſe.*

XIV. 2. *Pactorum publicorum robur, non à Iure Civili, ſed Gentium dependere.*

XV. 3. *Edictum reſtitutorium de metu locum non habere, in conventione propter metum juſtè incuſſum facta.* 4. *metum juſtè incuſſum non impedire voluntarium conſenſum ſecundũ Caſiſtas.*

XVI. 5. *Promiſſa ex metu valere, ſi quiſpiam ſua culpa in metum pervenit, & hoc illuſtratur exemplo Libertæ.*

XVII. 6. *Hoc tamen accipiendum eſſe, ſecundum Salonem, de iis contractibus, qui fiunt ſine injuria contrahentis.*

XVIII. 7. *Regula ponitur: geſta ex juſto timore damni, valere Iure Naturali & Poſitivo.*

XIX. 8. *Adduntur Poſitiones Concluſivæ à Dn. Caramuele defenſioni Pacis Licitæ Germaniæ in fine adjectæ.*

XX. *Reſpondetur ad exempla in contrarium allata.*

I. QUod olim Seneca *lib. 9. de clementia* ſcripſit: *Neceſſitas* (ait) *magnum humanæ imbecillitatis patrocinium, quæ omnem legem frangit.* Et ante eum Demoſth. apud Stobæum; *Neceſſitas ipſa veniam quodammodo parit apud humaniter judicantes.* Stobæus *ſermon. 44.* Id *Thales Mileſius* apud Plutarchum ſequentibus expreſſit: *Validiſſi-*

mum nempe & fortiſſimum quiddam eſſe neceſſitatem, quæ univerſa natura prævalet. Unde *Triſmegiſtus* ſcribit: *Fatum & neceſſitatem ambas ſibi invicem individuo glutine connexas manus habere, alteram rerum omnium parere initia; neceſſitatem verò cogere ad effectum.* Triſmeg. *de volunt. Dei.* Omnia enim docuit neceſſitas: Quam enim rem non inveniret neceſſitas? ait Plutarch. *lib 1. de divinat.* Ac *Simplicius* ad Epictetum ſcribit; *Neceſſitas eſt quæ ad ſupernam, divinamque cauſam reducit omnia, tam invita quam voluntaria, cui aſſentitur & concomitatur, nec renititur, ſed ſtrenuè ſequitur, verè ſapiens.* Epictet. epiſtol *cap. 77.* Ideò ſecundum Lucanum; *Cupiat, quodcunque neceſſe eſt.* Lucan. *in Pharſ. lib. 4.* Et ſecundum Euripidem. *Concede neceſſitati & Deos non impugna.* Hinc *Stoici* neceſſitatem fixam cauſam & violentam appellant. *Divinus Plato* verò, neceſſitatem Deam fecit Parcarum matrem, quæ & ipſæ ineluctabiles & inexorabiles vocantur. *Et alibi:* Neceſſitatem nec Deus ipſe cogit. *de legib. dialog. 6.* Juxta Simonidis ſententiam: Neceſſitati ne quidem Dii reſiſtunt. ac ut Livius ſcribit: Parendum eſt neceſſitati, quam ne Dii quidam ſuperant. *Hiſtor. decad. 1. libr. 9.* cum ſit ingens, ultimum & maximum telum, quod omnia in ſervitutem redigit, omnia ſibi parere facit, & ut Quintilianus: Multum contra juſtitiam valet, adeò ut neceſſitatis magnitudo excuſationis in ſe plurimum habeat. Procop. *de bello Gothor. lib. 3.* *Neceſſitas enim* (ſcribit Caſſiodorus) *moderamen non diligit, neque leges poſſunt obſervare jejuni populi, & totum ſolet fames contemnere ut ſuam neceſſitatem expellant.* Caſſiod. *lib. 4. reſcript. 5.* Quod latè deducit Petr. Peck. *de cap. 78. num. 1. & ſeq. X. de Regal. jur.* Anton. Freundeberg. *de reſcript. morat. concluſ. 6. n. 51. & ſeq.*

II. Unde optimè Chryſoſtomus: De iis quæ vi fiunt

ſiunt ac neceſſitate, nec nos quidem exigimus ratio nem, nedum Deus, qui eſt adeò clemens, benignus & bonus. Chryſoſtom. *Homil. 2. ad Epheſios.* Explicat hoc P. Innocentius III. *in cap. conſiliorum. X. de obſerv. jejun.* Ubi de illis, qui in quadrageſima aut in aliis jejuniis ſolennibus infirmatur, & petunt ſibi eſum carnium indulgeri, reſpondet Bracharenſi Archiepiſcopo: Quod, cum non ſubjaceat legi neceſſitas fidelium infirmorum, cum urgens neceſſitas exigit, ſupportare potes & debes, ut majus periculum in eis evitetur. facit *lex 12. C. de Epiſcop. audient.* Auguſt. Barboſa *ad dict. cap. conſilium. num. 1.* Franciſ. de Amaya *ad l. un. num. 12. C. Ut nemini liceat. lib. 10.* Dn. Jacob. Brandmyller. *tr. de different. jur. Civil. & Canon. lit. N. verb. Neceſſitas.* Unde profluit vulgata *Regula*; Quod is qui ex neceſſitate quidpiam facit, propriè conſentire non dicatur. Menoch. *lib. 2. præſumpt. 19. n. 8. & conſil. 41. n. 18.* Hartm. Hartmanni. *lib. 1. tit. 8. Obſerv. 1. n. 1.* Quoniam neceſſitas contraria & repugnans voluntati factum efficit non voluntarium ſeu involuntarium juxta Senec. *epiſtol. 62.* Sebaſtian. Medices *de caſib. fortuit. part. 1. quæſt. 6. num. 61.* latè Anton. Freundeberg. *de reſcript. morat. tit. 4. concluſ. 5. n. 44.* Roſacorb. *Obſerv Camer. cap. 37. n. 32.* Conſil. Argentor. *32 n. 22. vol. 1.*

III. Ex quibus jam deductis à quibusdam in dubium vocatur & aſſertivè quaſi diſputatur: *An Princeps promiſſa ex neceſſitate publica, ceſſante neceſſitate, infringere queat? Ac an non vis, carcer, metus, fœdera irritare poſſit?* Sanè *Nicolaus Machiavellus* ſcribit: Non chartas aut ſcripturas, ſed vim & neceſſitatem Principem ad ſervandam fidem adigere: qua ceſſante promiſſa quoque pacta & fœdera evaneſcere: Ita enim ejusdem formalia ſonant: *Non può* Q.

per tanto un ſignore prudente, ne debbe obſervare la fede, quando tale oſſervanza gli torni contro, & che ſono ſpente le cagioni che le fecero promettere. Et ſe gli homini foſſeno tutti buoni, queſte precetto non ſaria buono: ma perche ſono triſti e non l'oſſerverebbono à te, Tu ancora non l'hai oſſervare à loro. Ne mai ad un Principe mancaranno cagioni legitime di colorar l'in oſſervanza, di queſto ſe ne potriano dare infiniti eſſempi moderni, & monſtrare quante paci quante promeſſe Sieno ſtate fatte irrite & vane per la infedeltà de Principi, ed à quello che hà ſabuto meglio uſari la volpe, è meglio ſucceſſo. Ita de Principibus Machiavell. *del Principe cap. 18. ac nei Diſcorſi lib. 3. cap. 42.* Simili modo exceptionem vis & metus Regiam eſſe exceptionem in promiſſis & fœderibus tradit Caſſan. *ès Recherches des droits de France. lib. 1. c. 5. p. 293.* Nec Reges & Principes promiſſa ſervare obſtrictos eſſe, ſi utilitas publica & Status ratio aliter ſuadeat, Statiſtæ aſſerunt. Qui jam olim ad humani generis perniciem in aulis ac conſeſſu Regum, decantatos verſiculos in ore habere ſolent:

Sanctitas, pietas, fides privata bona ſunt.
Qua juvat Reges eant.

Quos refert Servus apud L. Annæ. Senecam *in Tragæd. in Thyeſte art. 2.* Et alibi: *Id eſſe Regni maximum pignus putant, ſi quidquid aliis non licet, ſibi licet.* Seneca *d. lib. in Agamemnon. art. 2.* Hoc pernicioſum *Machiavelli* dogma, nimirum Principem quidvis & ſimulare & diſſimulare debere, quoties ipſi utile videbitur; non heri nupervè natum, ſed multorum jam olim animis inſitum fuit. Talem enim Pſeudo-Politicum *Plutarchus* deſcribit, *Lyſandrum* Spartanorum Regem, hominem verſutum & pleraque fraudibus miſcentem. Qui jus in ſola ponens utilitate, veritatem nihilo majorem eſſe mendacio, ajebat, ſed utriusque dignitatem ac pretium uſu definiri.

Idem-

Digitized by Google

Idemque ob violatum quoddam juſjurandum reprehenſus, pueros *aſtragulis*, viros *ſacramentis* decipi debere, reſpondit. *Plutarch. in Lyſandro.* Talis quoque Euphemi illius apud Thucididem ſermo eſt: Viro aut Urbi, Principique nil injuſtum, quod fructuoſum. Thucidid. *hiſtor. lib. 6.* Matth. Bernegger. *Obſerv. Hiſtor. Polit. 24.*

IV. *Burgundiæ* itaque Duci nihil profuiſſe *Confluentiæ* Pacem, Rei Dominicæ translatitiam *Choppinus* refert; Qui Galliæ Regem eò perpulerat, ut ipſi Montrolium locum maritimum daret, Ambianos item ac finitimas Urbes perpetuò poſſidendas Anno MCCCCLXV; Aſt non diu poſt Patrum Decreto reſciſſum fuit infame fœdus, ac propalam cremari juſſum. Renat. Choppin. *de doman. lib. X. cap. 1. n. 7.* Hinc *Manuel Commenus* Imperator, monenti Conſiliario, ut cum Turcis inita pacta ſervaret: Parum ſe ea curare quæ neceſſitate promiſſa eſſent, reſpondit. Nicet. Choniat. *lib. 6. annal.* Ac *Franciſcus Maria Urbini Dux* (diſcrimen faciendo inter Regem abſolutum & Dynaſtam aliquem inferiorem) dicere ſolebat: Quod ſi Nobilis aut Dynaſta, qui ſuperiorem recognoſcit, fidem non ſervaret, ignominiam & vituperium omnium incurreret ubique; Principes autem qui ſuperiorem non recognoſcunt, poſſunt, citra magnum vituperium, tractatus & pacta inire, & ab iiſdem diſcedere; Contrahere fœdera & ab iiſdem reſilire; mentiri, decipere, & alia hujuſmodi generis omnia patrare, ſub ſolo prætextu, Ratione Status. Referente Cardinale Domino. *Oſſat. lib. 3. Epiſtol. Legat. 87. fol. m. 372.* Similiter, *Franciſcum I. Galliæ* Regem non aliam habuiſſe repetendi belli contra Imperatorem *Carolum V.* cauſam, quam quod ad conditiones in captivitate initas ſe minimè

nimè teneri, diceret. Joan. Bapt. Hadrian. *in hiſtor. Ital. ſub Franc. I. Caſſan. dict. lib. cap. 5.* De quo ſequentia Bellajus: Quæ Rex eò facilius promiſit, quod ſatis intelligeret, quicquid à ſe captivo, quum in cuſtodia aſſervaretur, fide neque accepta neque data promitteretur, id nullum pondus habiturum: & filios ſuos poſtea pecunia redimi poſſe conſideret, Martin. Bellaj. Langlæ. *Comment. lib. 3. fol. m. 84.* Quod latius refert & defendit Renat. Choppin. *de doman. lib. 2. cap. 1. num. 7.*

V. Ipſe Imperator *Carolus V.* cum ab ipſo promiſſorum fides repoſceretur: Obſecundaſſe tempori reſpondit, ſi credimus Auguſto Thuan. *hiſtor. lib.* Eo quoque animo, & ea vafritie fuit Regina Scotiæ *Maria Guiſia*, Jacobi V. *Stuardi* Scotorum Regis relicta Vidua & Regens Scotiæ Regnum: Ad quam cum *Anno Chriſti MDLIX. à Congregatis fœderatis* (ſic dictis, qui à Catholica R. religione ſecedebant) Legati mitterentur, qui ſupplices, regiâ non ita diu ante promiſſa in memoriam revocarent, neve ea irrita redderentur, orarent; Multis elabendi & tergiverſandi cauſa dictis tandem apertè & palàm edixit: *Promiſſorum fidem à Principibus exigendam, quatenus præſtare eam, ipſis expediat.* Georg. Buchanan. *Hiſtor. Scotic. lib. 16. fol. m. 192. B.* Carolus item *IX. Galliæ Rex*, quicquid de religionum libertate ante caviſſet, ac Proteſtantibus promiſiſſet, pro tempore Statutum, non ut perpetuum eſſet, Hugonotis replicavit, referente Andr. Maurocin. *hiſt. Venet. lib. 8.* Simili modo & *Margaretha* Parmenſis, vi adactam Belgis quædam conceſſiſſe ſeſe excuſavit. Thuan. *hiſtor. libr. 38.* Conneſtag *de bello Belg. hiſtor. lib. 2.* Et hac Status Regula & Ratione, etiam hodiè adhucdum Reges & Principes utuntur quam-

quandoque, imò plerunque præſertim ii, qui abſoluta poteſtate pollent, omnia nempe ſecundum utilitatem Status & Regni menſurantes. Nam Sartorius Bava ſcribit: *Regem Hiſpaniæ* ſtare & permanere in quaſi poſſeſſione recedendi quandocunque à promiſſis & practicatis in Regni Siciliæ Capitulis. Bava *in reſolutione pro tracta Salu. fol. 12. & 14.*

VI. Ac ne aſſertio hæc omni planè *Ratione* deſtituta eſſe videatur, nevè Aulo illi Politici, inſtar *Prædonis* Ulpiani, interrogati, cur id Principi ſuo conſulant, reſponſuri ſint: Quia ita libitum ſit: Nec ullam cauſam ſuæ actionis poſſint reddere ſaltem fatuam & ineptam: Ideò ad prætextus juris recurrunt, alias uſitatiſſimum Statiſtarum remedium; Quod Principi ſuo ſuggerit *Machiavellus*; ſcilicet utilitati ſaltem & Imperio conſulendum, nunquam defuturas cauſas, quibus in actiones color aliquis juris inducatur. Homines enim ſpecie magis & colore rerum, quam rebus ipſis permoveri & judicare. *Ne mai ad un Principe mancaronno cagioni legitime di colorare l' inoſſervanza, Per queſto è neceſſario ch' il Principe nagran ſimulatore & diſſimulatore: E ſono tanto ſemplici gl' huomini, e tanto abb. diſcono alla neceſſita preſente, che colui che inganna, trovera ſemper chiſi laſce à ingannare.* Machiavell. *del. Principe. c. 18.* Ac hujus aſſertionis hæc *Ratio* eſſe poteſt; Quoniam id quod vi aut metu promiſſum eſt, firmum ac ratum non eſt, cum liberæ & ſpontaneæ voluntati repugnet. *per. t. t. D. quod vi metus vè cauſ. t. t. Jur. Canon. De iis quæ vi metusvè cauſa fiunt.* Sylveſter de Prierio *in ſumma. Tit. Metus. num. 1* Joſeph. Ludoviſ. *deciſ. Lucenſ. 18.* Alexand. Ludoviſ. *p. P. M. deciſ. 326. per tot.* Pariſ. Cardin. *conſil. 66. n. 1. lib. 4.* Hinc conſen-

ſiſſe non dicitur in jurisdictionem, qui vel errore ductus vel Præturæ viribus compellitur. *leg. 2. in pr. D. de judic.* Unde Seneca ſcribit: Neceſſitatem plus poſſe, quàm pietas ſolet. Seneca *in Traged. in Trojas. art. 3.* Ac ſecundum Ciceronem: Improbiores ſunt ii qui nocendo hoc agunt, ne mali videantur, per ſpeciem alieni conſenſus, rapinam ſuam tegere nituntur. Cicer. *officior. lib. 1.* Dn. Præcept. Læl. Mancin. *in ſacr. juris controv. diſſert. 8. c. 8. n. 9.* Paul. Gallerat. *de renunciat. tom. 3. renunciat. 120. num. 3. & ſeqq.* Balthar. Megallon. *tr. de metu.* Nam in compoſitione Pacis, contrahendis fœderibus & ſimilibus publicis actionibus, lex & ratio ipſa liberam exigit voluntatem. *Gloſſ. in cap. 2. X. de his quæ vi metusvè cauſa.* A qua longe abeſt id quod per vim, metum aut errorem ſtipulatur. Siquidem metus dicitur trepidatio mentis inſtantis vel futuri periculi. Sanchez. *de matrimon. lib. 4. diſp. 1. num. 7.* Calderin. *conſil. 102. n. 2.* Auguſtin. Barboſa *ad cap. 1. num. 5. De iis quæ vi metusvé in 6.* Conſil. Argentor. *3. per tot. vol. 2.* Weſenbec. *conſil. 339. num. 138. & 308.*

VII. Hinc Contractus metus cauſa initus dicitur nullus; & hoc etiam tum demum verum eſt, quando metus eſt cauſa proxima obligationis. Roman. Singul. *229.* Ripa *in reſponſ. 4. num. 8. ad Trebell.* latè Paul. Gallerat. *de renunciat. lib. 3. cap. 11. per tot.* Pari jure & ratione metus præſertim Domini temporalis annullat ſententiam Judicis, qui propter metum illam tulit & pronuntiavit. Bartol. *conſ. 60. n. 5. lib. 1.* Farinac. *in fragment. part. 2. lit. M. n. 44.* Ceſſio juris ſui aut ex parte provinciæ, metus cauſa facta, aut ex neceſſitate propter vim eminentem remiſſa & tradita, omnino non valet. *per l. 2. C. Ut*

2 *C.* Ut lite pendente. Similes caſus vide apud Læl. Mancin. *de relaxat. juram. cap. 16. n. 3. & ſeqq.* Sebaſtian. Medices *de caſu fortuit. part. 1. quæſt. 7. num. 27.* Omnisque alia promiſſio per vim & metum exacta non tenet, adeò quidem, ut ipſe promittens ſemetipſum proprio facto à promiſſis per vim & metum liberare poſſit. *per l. ſed & partus §. quæri. D. de eo quod met. cauſ.* Unum enim quodque vinculum, quomodo ligatum eſt, eodem modo diſſolvi poteſt. Farinac. *in fragment. crim. part. 2. lit. M. num. 25.* Seraphin. *de privil. juram. privileg. 110. in pr.* Ubi Benckendorff. *num. 1.* Sebaſtian. Medices *dict. quæſt. 7. num. 42. & 62.* Auguſt. Barboſa *ad cap. Abbas. 2. n. 5. de his quæ vi metuvè cauſa.* Joan. Leſs. *de juſtit. & jur. lib. 2. c. 17. dubit. 6. num. 38.* Unde *Leonhardus Leſſius* & cum eo Caſiſtæ dicunt: Paciſcentem propria authoritate pactum reſcindere, & rem ſuam recuperare poſſe. Et hoc non tam jure poſitivo, quam Jure Naturali licitum eſſe. Ratione enim illatæ injuriæ, rem manere obligatam priori Domino, & conſequenter cum illo onere tranſire ad quosvis: Conſenſum enim per injuriam extortum non transferre rem ſolidè & irrevocabiliter, ſed eo modo, ut maneat jus in rem. Leſſius *dict. dubitat. 6. num. 39.* Ac Ludovicus Molina Jeſuita ſcribit: *Ex natura rei, & in conſcientiæ foro, quin etiam in exteriori de jure Prætorio non cenſetur translatum Dominium, quando aliquid per vim aut metum ſufficientem, donatum traditumque eſt ſed ſolum juris Civilis fictione quodammodo cenſetur translatum.* Molina *de juſtit. & jure. tom. 2. diſput. 326 fol. m. 308.* Et hoc ante eum Sylveſter. *in ſumma verb. Uſura. 6. quæſt. 1.* Idem tradidit acutus Scriptor Michael Salon. *de juſt. & jure in contract. & commerc. quæſt. 88. art. 3. Controverſ. 1. per tot.* Quo faciunt tradita Bertrand. *conſil. 1. n. 11. vol. 1.* Conſil. Argentor. 3. *n. 149. vol. 2.*

VIII. Proinde cum Princeps ex neceſſitate Status ſui publici, aut metu majoris mali publici quidpiam promittit, fœdera pangit, aut pacem concludit, id non ex libera mente & voluntate; ſed coactione quadam promanat, conſequenter promittentem efficaciter non obligat. Et hoc eò magis dicendum eſt, ſi promiſſio aut pactio facta ſit ob periculum amiſſionis *Provinciæ* aut *Dynaſtiæ*, qui metus dicitur juſtus, ad excuſandam & concedendam reſtitutionem in integrum contra promiſſa & pacta, dum conſtantiſſimum quemque excuſet à promiſſis ſervandis. Nam Conſulti in jure communiter tradunt, quod periculum amiſſionis omnium bonorum inducat juſtum metum, qui cadat in conſtantem Virum. *pr. cap. Abbas. 2.* ibi quæ Eum è domo & univerſa poſſeſſione expelleret. *X. de iis quæ vi metusvè cauſa.* Sylveſter. *in ſumma. tit. de Metu num. 3.* Maſcard. *de probat. concluſ. 1051. num. 54.* Menoch. *conſil. 1. n. 280.* Farinac. *quæſt. crim. quæſt. 15. n. 55.* Baſilius Pontius *de matrimon. cap. 29. §. 6. verſ. at mihi videtur.* Imò etſi promiſſio aut pactio fieret ex metu amiſſionis, non omnium ſed majoris partis bonorum: Idque ſive promittens aut ſtipulans ſine illis ſuſtentare vitam poſſet, ſive non. *arg. l. litem. ibi:* niſi forte de omnibus bonis, aut plurima eorum parte controverſia ſit. *D. de excuſat. tut.* Siquidem etiam ſpoliatus & ille dicitur, qui tota ſua ſubſtantia vel majori parte deſtitutus eſt. *in cap. 1. ubi* Auguſt. Barboſa *n. 11. de reſtit. ſpoliat. in 6.* Menoch. *2. Arbitr. caſ. 135. num. 9.* Farinac. *in fragment. crim. part. 2. lit. M. n. 89.* Joan. Guttierez. *de juram. confirm. part. 1. c. 57. num. 20.* Idem quoque dicendum eſt in amiſſione magnæ rei, licet non ſit major pars bonorum. Sylveſt. *in ſumma. dict. tit. de Metu num. 3.* Catal. Cotta *in memora-*

bil.

bil. Urb. Abſentes. Covarr. de Sponſal. part. 2. §. 4. n. 18. Auguſt. Barboſa *ad cap. Abbas. 2. num. 2. X. de iis quæ vi metuvé cauſa.* Hinc Caſiſtæ tradunt, eum qui metu cauſam dedit promiſſo, teneri liberare Promiſſorem: Quoniam damnum dedit per injuſtitiam, id eſt per actum pugnantem, & cum natura libertatis humanæ, & cum natura actus qui liber eſſe debet. Joan. Leſſius *de juſtit. & jure lib. 2. cap. 17. dubit. 6. num. 38.* Ubi hanc rationem adfert: Quoniam qui metum injuſtè incuſſit, injuriam alteri intulit. Unde tenetur illum in priorem ſtatum reſtituere. Hug. Grot. *de jur. bell. lib. 2. cap. 21. ac lib. 3. cap. 19. num. 4.*

IX. Verum enimverò quamvis hæc ita ſpecioſè dicta ſint, ac quamvis ita fieri ſoleat, non tamen ita fieri debere, aut juſtè fieri, firmiter aſſero. Siquidem etiam Juris Gentium ſit, ſervare ea, quæ vi bellica coactus promiſeris. Principem igitur etiam ea, quæ neceſſitate publica cogente promiſit, aut pactus eſt, ſervare debere & promiſſis ſtare teneri, cenſeo. Et hoc tam jure gentili, quam morali. Fides enim nihil aliud eſt, quam dictorum & factorum conſtantia & veritas; Dicta à fiendo, ut videlicet fiat, quod fieri dictum eſt. Duo enim ſunt quæ animum roborant, ſecundum Senecam: Duæ item res plurimum roboris animo dant; Fides veri & fiducia. Seneca *lib. 14. epiſtol. 6.* Auguſt. Barboſa *ad cap. ex reſcripto 9. n. 5. X. de injur. tom. 6. oper.* Joan. à Chockier *in Theſaur. Polit. lib. 2. c. 12. per tot.* Carol. Scriban. *in Polit. Chriſtian. lib. 2. cap. 15. per tot.* Petr. Premus *tr. de ſecurit. & fide publ. quæſt. 7. fol. 49. & ſeqq.* Sicuti autem ipſa fide nihil eſt antiquius, tanquam ab ipſo *Deo T. O. M.* ſacroſanctè habitum implementum, atque

exercitium fidei datæ, ita etiam è facili elucet, ſupremum quid eſſe in ipſa fide & ejus exercitio atque cuſtodia. Hæc illa eſt quaſi Mundi Sal, qua ſublata, quicquid eſt in hoc Mundo univerſo neceſſe eſt ut corruat. Unde *Cicero* ſcribit: Nemo eſt qui non hanc affectationem animi probet & laudet, qua non modo utilitas nulla quæritur, ſed contra utilitatem etiam conſervatur fides; Jacob Vander Graef *de Regalib. cap. 56. n. 4. & 5.* Petrus Gendelin *de Pace cap. 10.* Hanc virtutem præcipuè populum Romanum coluiſſe, eaque potiſſimum è parva origine ad tantam amplitudinem evectum fuiſſe ſcribit Aul. Gellius. *libr. 20. c. 1.* Ut meritò veteres Romani fidem in Capitolio, vicinam Jovis Optimi Maximi Templo eſſe voluerint: ut ediſcerent homines, eam velut alterum quoddam Numen ac certiſſimum humanæ ſalutis pignus colendam eſſe. Valer. Maxim. *lib. 6. c. 6.* Petr. Premus *de ſervit. publica quæſt. 7. fol. 51.* Nulla enim res vehementius Rempublicam continet quam fides, ait Cicero, ac pulcherrima inter mortales res eſt, fides, & ad continendam omnem vitæ ſocietatem, neceſſaria; Nec facilius infamiam incurrit quā qui hanc læſerit. Author. *Obſerv. polit. de motibus Gall. 16.*

X. Glorioſum igitur Principi, imprimis Chriſtiano, imò neceſſarium eſt ſervare fidem, promiſſa & pacta; Violare autem, turpe, nefas & inglorioſum maximè exiſtit. Ambroſ. Marlian. *in Theatro Polit. c. 14.* Hinc optimè ſcribit Joan. Petr. Cermenatus Gallus: Ejusdem eſt generis infamia hæc, quæ ex fide non ſervata, quæ ex perjuriis, quæ ex impoſturis naſcitur, ut nullo ſmegmate unquam amplius abſtergi queat. Nec ullus Princeps aut Reſpublica, quæ hujusmodi maculis infecta

fecta eſt, amicitiam cum aliis Principibus initam, fœdusvè contractum diu ſervare poterit. Joan. Petr. Cermenat. *d. rect. Republ. adminiſtr. c. 32. fol. 299.* Eodem modo benè Scribanius Jeſuita ſcribit: Turpe Principi conceſſa negare: Abjectiſſimi animi, mentiri & fallere, & venalem fidem habere. Nimis hæc Scenicam levitatem ſapiunt, conſtantiæ repugnant, quam Regiam virtutem meritò dixeris. Carol. Scriban. *in Polit. Chriſt. lib. 2. cap. 15 & ſeq.* De data igitur fide ſervanda & præſtanda nullum decet Bonum Virum dubitare. Cum hæc ſit naturæ lex, ac fidei obſervatio proveniat ex æquitate naturali, quid enim tam congruum, inquit Ulpianus, fidei humanæ, quam ea quæ inter nos placuerunt, ſervare, *in l. 1. D. de pact. l. 1. D. d. conſtit. pecun.* Qua naturali lege nemo unquam, ne quidem ſupremus Princeps ſolutus eſt. *Inſt. de jur. N. G. & Civ.* Cum grave ſit, maximè in Principe fidem fallere. Petr. Premus *tr. de ſecur. publ. quæſt. 7. fol. m. 49 & ſeq.* Quamvis enim Principem ſupra Jus Civile eſſe, cenſeatur, non tamen cenſetur eſſe ſupra jus gentium, ex quo ad fidei datæ obſervantiam aſtringitur. Camill. Borell. *de Magiſtrat. lib. 2. cap. 1.* latè Beſold. *de Majeſtat. c. 7. num. 8.* Magiſt. Marquez. *de gubernat. Chriſtian. lib. 2. c. 39. §. 2.* Unde D. *Auguſtinus* ſcribit: Fides quando promittitur, etiam hoſti ſervanda eſt. *in cap. Noli. cauſ. 23. quæſt. 1.* Sic etiam Ambroſius; liquet etiam in bello, fidem & juſtitiam ſervandam eſſe. Vid. Hug. Grot. *de jure belli. lib. 3. cap. 19. n 1.* Scipio Amirath. *lib. 17. diſcurſ. 1.* Althus. *in Polit. cap. 25. num. 29.* Don Garſ. Maſtrill. *de Magiſtrat. lib. 1. cap. 18. n. 35.* Exempla Principum Germanorum, qui fidem datam conſtanter obſervarunt, vide apud Matth. Caſtrit. *de heroic. Pr. Germ. virt. lib. 3. c. 2.*

XI. Nec

XI. Nec audiendus eſt *Politicus ex Etruria*: quod Principi fas ſit contra fidem & promiſſa agere ubicunque utilitas Reipublicæ & Status imperandi hoc exigat. Siquidem cujuscunque Reipublicæ duo ſint præcipui & principales fines. Publica honeſtas & publica utilitas: Qui duo fines in omnibus Principum actionibus uniti eſſe debent, nec à ſe invicem ſeparari poſſunt, niſi Princeps in Tyrannum degenerare velit. Tyrannorum enim proprium eſt, omnia quæ in Republica agunt, potiſſimum ad ſuam utilitatem, honorem, gloriam ſeu ambitionem & lucrum peragere. P. Gregor. Tholoſ. *de Republ. lib. 24. c. ult. num. ult.* Unde principiis naturæ repugnat deſcriptio juſtitiæ Thraſymachea; Quod ſit id, quod pertinet ad potentioris utilitatem. Plato *de Republ. lib. 1.* vide Beſold. *in præcogn. Polit. c. 7. num. 1. & 3.*

Hinc de *Barbaris* tradit Juſtinus: Fides dictis promiſſisque nulla, niſi quatenus expedit. Et *Livii* ſunt notanda verba: *Fœdus Regi cum Carthaginenſibus erat gravius & ſanctius, quam Barbaris, quibus ex fortuna pendet fides.* Joan. Larrea *allegat. fiſcal. 119. num. 24.* Pœni ita leve ducebant fidem frangere, ut jam abierit in proverbium; Agere *Punica fide*, nihil aliud eſſe, quam decipere: Quod vel ex Annibalis Carthaginenſis operibus ſatis liquet, ut de Amilcare nihil dicam. Tit. Liv. *hiſtor. decad. 3. lib. 1. & paſſim.* Vide omnino Chockier in Aphoriſm. *Polit. lib. 2. c. 14. à Princip. ſ. m. 113.* Ac quis æqui & honeſti amans, Parthorum perverſam conſuetudinem probet, qui rem turpem ſtare promiſſis arbitrabantur. Cum Viri fortis eſſe putarent, & prudentis, omnia fraudulenter & violenter juxta propriam utilitatem peragere. Joan. Petr. Cermenatus *de recta Regni adminiſtrat. cap. 32.* Unde Saniores Politici pro vero tradunt. *Che la perfidia ed impieta,*

Digitized by Google

piena, anche nello ſtato Tirannico non ſia connevole E che anche nelle Reipubliche cattive, ſia neceſſaria l' honeſta. Tub. Albergat. *dell. Republ. Reg. lib. 2. c. 22.*

XII. Optimè igitur & prudentiſſimè tradit *Joan. Baptiſta Larrea,* Hiſpanus, Scriptor doctiſſimus: Nunquam ego conſulerem Principi, ut à fide data vel contracta aliqualiter deflectat, quia cum nullum ſit pretioſius Principis pignus, quam ejus verbum & fides, quæ non obſervando vileſcit, ut nullus ex Vaſallis de Principe ſuo confidat; Ideò ex plurium ſententia Regalium alienationes, quæ poſſunt & debent revocari, non eſſe congruum ut Princeps revocet, ſed abſtineat à Revocatione. Joan. Baptiſta Larrea *Conſil. Reg. Hiſpan. & advocat. fiſc. allegat. 119. num. 24.* Pari modo Relationi *Santotorii Bavæ,* ſupra allegatæ, graviter exclamando regerit *Antoninus Diara: Sed bone Deus, ſi hoc verum eſſet, quis amplius cum Rege contraheret & practicaret? Maximè ut ſæpius ſolet accidere, in Comitiis Generalibus.* Anton. Diara. *part. 1. tract. 3. Reſolut. moral. 15.* Graviter autem & ſatis acerbè Regis Hiſpaniæ violationem fidei etiam juratæ Juſto Lipſio exprobrat Juſtinus Bonefidius *hiſce verbis:* Tuus Scriptor ex Hetruria, utile clamitat, & honeſtum ſpernit, quem tu ſequeris egregiè. Ultima Mundi ſeneſcentis ſecula, bonum id veſtri Regis, id eſt, Tyrannidem uſurpatam in populum obedientiſſimum Belgicum contra pacta Sacramento roborata cum horrore recenſebunt; Et tot myriades hominum innocentiſſimorum crudeliſſimè trucidatorum, & ad libidinem Hiſpanorum mactatorum de maledicto perfidiæ crimine teſtabuntur: quod tu bonum Regis eſſe ſomnias & apertum bonum nominas. Vel hinc conſtat, te proba-

re eorum Principum magiſtros: Qui norunt, & fraudare homines & fallere numina Divum. Juſtin. Bonefid. *in ſtrictura ad Epiſtol. juſti Lipſ. de Induc. Bell. Belg. n. 39.*

Ac notabiliter ſcribit *Jacobus Zevecotius*: Multas Civitates & præſidia Turcæ & Hiſpano pertinacius reſtitiſſe, quod illorum perfidiam triſtibus admodum exemplis probatam haberent. Nec tanta, ut puto, conſtantia tot obſidionis difficultates perpeſſa fuiſſet Leyda, ſi Harlemi, Nordæ, Zutphaniæ modeſtius ſe Hiſpani geſſiſſent. Nec tam diu proſpero victoriarum curſu gaviſus fuiſſet Alexander Farneſius Parmæ Dux, ſi aliquid fide potius eſſe judicaſſet. Jacob. Zevecot. *ad Sueton. Cæſar. c. 19. fol. m. 47.* Ex quibus jam deductis evictum eſt, quod Princeps pacta & ſponſiones publicas, quæ vi metuve hoſtili, aliavè neceſſitate publica inivit, ſub exceptione *quod vi metusvè cauſa*, ſalva juſtitia, fide & conſcientia violare ac reſcindere non poſſit, ſub prætextu: *Quaſi id quod per vim metumvè hoſtium actum eſſet, ratum eſſe non debeat.* Quod pro firmanda Pace Germaniæ Oſnabruggenſi concluſa deducit. Joan. Caramuel. *in Pace licita Imper. quæſt. 10. Rat. 6. & latè per tot.*

XIII. Nec quempiam movere debent *in Contrarium* ea, quæ à principio hujus capitis adducta ſunt. Siquidem *Primo*, ſecundum Ciceronem, Viro forti vis adhiberi nequit; Ac fortitudo atque conſtantia virtus eſt adeò Principem decens, ut nulla magis unquam: juxta illud Senecæ: Regum hoc ipſum, res adverſas capere, quoque ſit dubius magis ſtatus & cadentis Imperii moles labatur, hoc ſtare certo preſſius gradu. Multo minus univerſo Populo in libertatis Majeſtate conſtituto vis inferri poteſt, cui libertas citra ſubjectionem plenariam

nullo

nullo unquam tempore, ne quidem momento abeſſe poteſt. Unde iterum optimè Seneca: Fidem ſanctiſſimum humani pectoris bonum vocat, quæ nulla neceſſitate ad fallendum cogitur, nullo præmio corrumpitur. Seneca *in Epiſt. 88.* Ideò cum Magnanimitati Reipublicæ nec vis, nec metus reſpondeant; meritò illud ejusdem authoris notatu dignum eſt: Nulla res tanti exiſtit, ut poſſit majorem vim adhibere metus quam fides. *Vide latè* Jacob. Vander Graef. *de regalib. cap. 56. n. 9.* Petr. Gudelin. *de pace 11. fol. m. 61.*

XIV. *Secundò* ſciendum, *Prætorium Edictum*, quo per metum geſta in integrum reſtituuntur, non pertinere ad eum metum qui ab hoſte, ſed qui à Cive Civi infertur. Ayala. *de jur. belli lib. 1. c. 6. fol. 101.* Vid. Joan. Bodin. *de Republ. lib. 5. num. 601. & ſeq.* Joan. Caramuel. *de Pace licita German. quæſt. 10. Rat. 6. num. 201. & paſſim.* Præterquam quod Pactorum publicorum, fœderum, ſimiliumvè Conventuum vis & robur, non ex regulis juris Civilis, ſed ex jure communi omnium gentium definiendum ſit, quod Jus Feciale nominatur, cui ſola æquitas præſcripta eſt, ſecundum Ciceronem *lib. 1. de offic.* Beſold. *de jure pacis. c. 6. num. 2.* Ubi latè per exempla. Nam à verbis pactorum cum Hoſte, omnes ejusmodi capedunculæ abeſſe debent longiſſimè, Baldus *conſ. 263. & 327.* Alciat. *lib. 3. reſponſ. 36.* Siquidem bonæ fidei ſunt omnia iſthæc, aut cum principali aut cum ejusdem procuratore geſta, quæ valdè reſpuunt ſcrupuloſas interpretationes & diſputationes de apicibus juris. Cephal. *conſil 37. num. 20 & 21.* Et hæc pacta publica ab omni malitia longe abeſſe debent, in quibus ſola veritas ſpectatur, quam colit jus gentium & poſt quam

vadit, non autem poſt ſubtilitatem bona fides, ſicuti egregie ſcribit Alber. Gent. *de jure belli lib. 2. c. 4. à princip.* Vander Graef. *dict. cap. 56. n. 11.* Præterea cum juris gentium ſint bella, captivitates, ſecuritates, lytra, Regna condita, dominia diſtincta, pacis bellique commercia: *pr. l. ex hoc jure. D. de pactis.* A bello verò vis, metus, carcer, ſimilesque belli effectus abeſſe poſſint; Ideò hæc omnia pactorum nomine comprehenduntur, ac eorum obſervatio ex lege naturali jubetur. *l. 1. L. juris gentium D. de pactis.* Vide in terminis Jacobum Zypæum *contra Caſſan. lib. 2. cap. 8. per tot.*

XV. *Tertiò* animadvertendum eſt, quod edictum reſtitutorium de metu locum non habeat in conventione & promiſſione propter metum facta, qui jure licito (qualis eſt metus belli juſti) alicui ſive publicæ ſive privatæ perſonæ illatus eſt, cui & ipſe contrahens cauſam dedit; *l. ſi mulier. 21. D. quod met. cauſ.* Sylveſter. *in ſumma. V. Metus q. 6.* Hugo Grot. *de jur. belli lib. 3. c. 19. num. 4.* Petr. Gudelin. *de jur. pacis. cap. 10. fol. m. 53.* Baſil. Pontius *de matrimon. lib. 4. cap. 13. n. 2.* Nam ipſe ſibi hunc metum infert, qui cauſam metus injuſtè agendo aut alterum invadendo dedit; *arg. l. 3. §. 1. ibi:* jure licito. *D. dict. tit.* Igitur is ab Adverſario potentia victus, ſi quidpiam præſtare aut remittere ſeſe obligat, de jure illud ſervare tenetur; Et quidem in pœnam commiſſæ invaſionis. Adeò ut ubi juſta eſt punitio, ibi juſta eſt omnis vis, ſine qua ad pœnam veniri non poteſt. Et omne quod pœnæ pars eſt, intrat juſtum ſcilicet, & qui peccato correſpondeat modum. Ita Plato juſtum probat bellum, donec hi qui ſontes ſunt, cogantur inſontibus malo affectis pœnas dare. Hugo Grot. *dict. tract.*

lib. 3.

lib. 3. cap. 1. num. 2. & 3. Proinde IV. bene obſervandum, quod *Caſiſtæ* ſcribunt. Quod dum metus juſte incutitur, voluntarius cenſeatur conſenſus; Nam moraliter loquendo, is qui juſte cogitur, non cenſetur involuntariè conſentire: Quoniam voluntariè cauſam metus & coactionis dedit, unde timor ille mali, non cenſetur extrinſecus inferri, ſed ab illomet naſci, ac proinde conſenſus inde ſecutus, non cenſetur involuntarius cum ſit omnino voluntarius in ſua cauſa; Sicuti diſputat latè & ſubtiliter (ut omnia) Leonh. Leſs. *de juſtit. & jur. lib. 2. cap. 17. dubit. 6. num. 43.* Nam in extremis conſilia, ex neceſſitate honeſta fiunt: ac ſinuanda vela cum tempeſtas jubet. Omnia maris mala, naufragio minora ſunt: *Et Gubernator* (ſecundum Curtium) *ubi naufragium timet, jactura quicquid ſervari poteſt, redimit.* Igitur in bello publico aut in pace obtinenda, non quid ſpecioſè dictu, ſed quid factum, aut neceſſitas poſtulat, æſtimandum eſt. Eryc. Putean. *in ſtatera bell. & pac. lit. H.*

XVI. Ulterius & quidem *V. obſervandum* eſt in hac quæſtione cum *Sylveſtro de Prierio* Caſiſta; Quod quamvis id quod metu factum, conventum aut tranſactum eſt, de jure non ſubſiſtat. Cum id quod metus cauſa geſtum eſt, nullo tempore Prætor ratum habeat. *per l. 21. §. quod metus. 1. D. quod met. cauſ.* Sylveſter. *in ſumma. tit. de Metu.* Gallerat. *de renunciat. lib. 3. cap. 11. num. 3. & per tot.* Secus tamen eſt, ſi quiſpiam *ſua culpa*, in talem metum pervenit. *V. G.* ſi Princeps, Comes vel Civitas, Principem aut Comitem, armis aut aliis mediis vel injuriis offenderit, ac Princeps per modum quaſi defenſionis, ab altero Principe, Comite aut Civitate, pactum aut tranſactionem metu majoris mali, obtinuerit. Hoc

enim caſu geſta per Eum, qui paſſus eſt metum ſine aliquo remedio tenent, nec per edictum Prætorium revocantur. De quo caſu eſt textus ſingularis *in l. ſi mulier. 21. in princip. D. quod met. cauſ.* Quamvis enim juſtus ſit metus amittendæ libertatis, ac qui poteſt ſufficere ad impetrandam ex hoc edicto reſtitutionem, ſi à Patrono aut ab alio inferatur. Attamen Paulus JC. hoc limitando reſpondet; Si Liberta commiſerit ingratitudinem contra Patronum ac ſciens ſe eſſe ingratam, ac propter hanc ingratitudinem in ſervitutem quandocunq; redigere poſſe; ac prætextu ne revocaretur in ſervitutem ſuo Domino aliquid promiſit; Ei contra hanc promiſſionem non ſuccurritur. Et hoc ideo, quoniam Liberta ſibimet ipſi intulit metum, committendo ingratitudinem, nec de alio quam de ſe ipſa conqueri debet; Cum Dominus juſtè revocationem in ſervitutem minetur. *l. 1. C. de libert.* Quo facit text. *in l. idem ſi ob ſtuprum. D. de condict. ob turp. cauſ.* Sylveſter de Prierio *in ſumma. tit. Metus. quæſt. 6.* Et hoc eſt quod ait Accurſius: Non ſuccurri ei, qui ſemet ipſum in neceſſitatem poſuit. *per l 3. §. ſubvenitur. D. ad SC. Syllanian. l. ſi fidejuſſor. 7. §. pen. D. qui ſatisdar. cogunt.* Ac non poteſt nec debet allegare metum, cujus ipſe Titius fuit cauſa & qui à ſua culpa proceſſit. Felin. *in cap. cum inter. col. 10. X. de except.* Alexander *conſil. 99. num. 1. vol. 3.* Donell. *in Comment. lib. 15. c. 39. verſ. non ſatis eſt.* Baſil. Pontius *de matrimon. lib. 4. cap. 13. num. 1.* Vide tamen Monter *deciſ. 45. n. 21.* Auguſt. Barboſa *ad cap. veniens. 15. n. 5. X. de ſponſal.* Anton. Faber *in Rational. ad dict. leg. ſi mulier. 21. D. quod met. cauſ.*

XVII. Inſuper (*pro VI.*) obſervanda eſt & bene conſideranda diſtinctio *Fr. Michael Salonis* quam in materia Uſu-

rarum tradit; dum ſcribit: Dico contractum qui fit ex neceſſitate, ſed ſine ulla injuria validum eſſe & ratum: Quia eo ipſo, quo nulla infertur injuria contrahenti, conſenſus ejus eſt ſufficienter liber ad contrahendum: At quando fit cum injuria & neceſſitate patientis illam, cui ſua neceſſitate compulſus conſentit in illam, cenſendus eſt pro non conſentiente, ſed quantum minimè poteſt conſentire. *Tum* propter injuriam quam contrahens conſentienti infert, juxta Regulam juris, ex injuria non naſcitur jus. *Tum* quia conferens illud quaſi coactus, non eſt cenſendus conferre illi niſi minimum quod poteſt. Hæc Michael Salon. *de juſtitia & jure in Contract. & commerc. quæſt. 88. art. 3. controverſ. 1. n. 10.* Proinde is qui ſua culpa ex neceſſitate coactus, aliquid cauſativè promittit vel ſtipulatur, id cum injuria acceptantis actum eſſe, minimè dici poteſt, cum ſtipulans aut paciſcens ſemet ipſum in neceſſitatem poſuerit. *pr. dict. l. ſi mulier. 2. in princip.* Ubi Anton. Faber. *D. quod metus cauſ.*

XVIII. Circa conventionem vel pacem à Principe ex metu juſto initam (*pro VII.*) quatenus à conventione data occaſione de jure & æquitate naturali reſilire liceat; Hæc Regula obſervanda & tenenda eſt. *Si quis ex delicto ſuo vel ex alia cauſa, timet juſtè damnum aliquod ſi ex eo metu aliquid agat, donet aut promittat, contractumvè ineat, ut eo metu liberetur, geſta valent jure Naturali & Poſitivo. Jure Naturali* talem conventionem valere, conſtat, ex eadem ratione, quam aſſignant JureConſulti *in l. ſi mulier. 21. in princip. D. quod met. cauſ.* Quia ipſe contrahens ſibi proprio facto ſc. male agendo aut offendendo metum intulit, quando injuſtè egit. Metum autem in hoc edicto reſciſſorio accipere debemus, non jure illatum. *pr. leg. 3.*

§. 1.

§. 1. ibi: jure licito *D. dict. tit.* Et revera metus ille non infertur ad eum effectum, neque is cum quo in eo caſu contrahit, metum injecit: Sed ob liberationem ab eo malo, cujus ipſe cauſa non eſt, cum illo contrahit. Quare nullum caput eſt, unde vitietur contractus iſte ex parte accipientis, neque ex parte dantis, cum non poſſit dici invitus rationabiliter, qui ſe ipſum in iſtas anguſtias redegit. *Jure etiam Poſitivo* id manifeſtiſſimum eſt. Quia edictum, quod metus cauſa, ita accipiendum eſt, ut ad eum pertineat, qui ab alio metum jure illicito patitur. *pr. l. 3. l. metum. 9. in pr. l. 14. §. ex hac. D. quod met. cauſ.* Duaren. *in Comm. D. tit. quod met. cauſ. c. 1. poſt med.* Edictum enim hoc delictum coercet, nullum autem in metu alieno delictum eſt, ubi nemo hunc metum intulit. Qui ergò juſtè timet, non ab alio timet, ſed à ſeipſo. *per. l. 3. in pr. & §. 1. D. dict. tit. l. injuriarum actio. §. 1. D. de injur.* Ita poſt Donellum & Duaren. Baſil. Pontius *de matrimon. lib. 4. cap. 13. num. 2.*

XIX. Confirmatur (*pro VIII.*) modo *Affirmativè* reſoluta quæſtio, ex poſitionibus magiſtralibus, quæ pro firmanda perpetua pace Oſnabruggenſi ſemper licita, in fine operis *Dn. Caramuel* adjecit: *Primo,* Permiſſio vel Conceſſio quæ homini non eſt libera, in culpam imputari non poteſt. *Secundo* ex duobus æqualibus malis, ſi aut alterum, aut utrumque evenire neceſſarium eſt, ſanctè permittitur alterum; iniquè utrumque. *Tertiò,* ex duobus malis inæqualibus, ſi neceſſario debeat venire unum vel alterum; arcendum majus, & minus permittendum erit; Ac non ſolum poſſe ſed etiam debere permitti minus, ne in utrumque aut in majus incidamus. Omnis enim Reſpublica ſubditorum ſuorum Contra-

ctum

ctum aut Statum conditionatum fluxu fovet: Fiat, valeat, ſubſiſtat, quandiu non ſit pernitioſum bono publico: Quoniam publicum bonum, eſt finis omnium legum, nec debet in ſingulis exprimi, quod in omnibus ſubintelligi debet. Dn. Joan. Caramuel. *in tr. de Pace licita. Oſnabruggenſi. in Concluſ. 86. & 393.* Idque ad exemplum *Nautæ*; Gubernator enim (ut verbis aureis Q. Curtii utar) ubi naufragium timet, jactura, quidquid ſervari poteſt, redimit. Vide Eryc. Putean. *de ſtatera Bell. & Pacis lit. H.* Ac ſicuti ſalubre putatur ab Ægro, amaram deglutire pillulam, hygiææ recuperandæ & tuendæ cauſa & ſpe: Sic tam reducendæ quam ſtabiliendæ pacis, publicæque ſalutis cauſa, Principi licet aliquas Provinciæ partes, villas & diſtrictus remittere & hoſti publico cedere; ac nullum inſuper dedecus eſt Principi paciſcenti delicta publica quorundam abolere & quaſi per feretrum amniſtiæ ſepelire ſontes & bono publico prævaricantes in gratiam receptare. Cyriac. Herdeſian. *de amneſtia fol. m. 3.*

XX. Superius *in Contrarium* quorundam Magnatum *Exempla* quod attinet, ego cum *Dn. Forſtnero* pronuntiare auſim: Quæ licet ita fieri ſoleant, non tamen ita fieri debere: Et nihilominus juris gentium eſſe, etiam ſervare, quæ vi bellica coactus promiſeris. Ac quamvis Machiavellus ita conſuetudine inter Principes obſervari tradat, ut ea quæ neceſſitate coacti pepigerunt, rata non ſint. Hanc conſuetudinem & rationē carentem & pravam eſſe, imò corruptelam magis, quilibet bonæ mentis judicet; utpote quæ perjuriis & fallaciis viam aperiat; Cum ferè ſemper altera pars coacta ad tranſactionem deſcendat; Et rarò æquis atque inte-

gris utrinque viribus ad pacem perveniatur Dn. Chriſt. Forſtner. *ad Tacit. lib. 2. annal. fol. m. 219.* Romanorum exemplum, turpem illam cum Samnitibus, ad furculas Condinas, initam pacem, aſpernantium quod attinet, id propterea evenit, quoniam Conſul, inſcio S. P. Q. Romano, penes quem paciſcendi arbitrium, tanquam nulliter pepigerat; nec populum Romanum obligare poterat. Quod latius deducit. Fab. Frezza. *in diſcurſ. Polit. fol. m. 60.* Quod animadvertit quoque Forſtner *ad dict. lib. 2. fol. m. 220.* Et promiſſum Franciſci I. Regis Gall. operosè excuſat, & contra leges Regni tanquam invalidum pronuntiat Choppinus, adeò quidem ut etiam ſupremum Parlamentum Pariſienſe Regem ab ejusdem obſervantia liberaverit. Renat. Choppin. *de doman. Franc. lib. 2. tit. 1. n. 7. & 8.* Contra tamen eundem *Franciſcum I.* graviter incuſat Franc. Cypæus *contra Caſſan. lib. 2. cap. 9. & 10. per tot.* Cui tamen regerere poſſunt ſimilia *Hiſpaniæ* Regum exempla, facto *Franciſci I.* non omninò diſſimilia, dum ejusmodi pacta & ſtipulationes publicæ ab ipſis Hiſpaniæ Proceribus in conventibus rejectæ & annullatæ fuerunt, apud eundem Renat. Choppin. *dict. tit. 1. num. 8.*

CAPUT IX.

De Pactis ex neceſſitate publica juramento corroboratis.

SUMMARIA.

I. Proponitur differentia inter Conventionem ſimplicem & juratam: adduntur teſtimonia & exempla Gentilium.

II. Q. An Pacta jurata ex neceſſitate publica, teneant? negant Aulo-Politici; & illuſtratur exemplo Mediola-

diolanenſium, Heronis Eſſenſis, Civitatum Graciæ; probatur ex Jure Civili, & Canonico.

III. *Ex horum ſententia, dicitur: id à potiori procedere in pactis Reipubl. noxiis, quod probatur; & illuſtratur exemplo Regni Hungariæ & aliorum.*

IV. *Ulterius confirmatur, & illuſtratur exemplis Regum Galliæ, & Neapolitanorum.*

V. *Author aſſumit affirmativam, eamque probat, maximè ex culpa perjurij, & violatione divini nominis, hinc conſequentibus.*

VI. *Confirmatur teſtimonio Ethnicorum, & limitatur Regula Canoniſtarum.*

VII. *Probatur: in coactis non abeſſe omnino voluntatem; dari etiam vim juſtam; adeſſe in tali caſu electionem.*

VIII. *Allegatur teſtimonium Thummij, Ciceronis de M. Regulo, Michaëlis Salonis, Hugonis Grotii & aliorũ.*

IX. *Reſp. ad objectionem de prohibita Bonorum Domanialium alienatione, limitando in caſu, quo alienatio fit ex cauſa neceſſitatis; exemplo fundi dotalis.*

X. *Confirmatur exemplo Friderici II. Imp. in Pace Conſtantienſi Longobardis multa indulgentis.*

XI. *Pacta publica cum infidelibus, ſervanda eſſe, quod confirmatur teſtimoniis variorum.*

XII. *Juramenta antegreſſa non infirmant pacta ex neceſſitate publica, ſecundum Caramuelem.*

I. QUamvis apud *Deum T. O. M.* nulla ſit differentia inter juramentum & ſimplicem loquelam; Adeoque ut in falſitate ſimplicis aſſertionis æquè peccatum committatur, quàm in falſitate juratæ aſſeverationis; ac in fractione ſimplicis conventionis ſimiliter crimen fiat, ſicuti in violatione juramenti: Non tamen

eſt par ratio *juramenti* & *ſimplicis promiſſionis* ratione vinculi & violationis. Siquidem gravius peccat, qui frangit juramentum, aut non cuſtodit conventionem juratam, quam qui ſimplicem fidem violat, vel mendacium dixerit. Ideò gravius eſt delictum, & graviori pœna punitur perjurium, quam ſimplex Mendacium. Et hujus diſcriminis Ratio manifeſta eſt, ob Divinum teſtimonium, quod contraveniendo vel contemnitur, vel falſæ aſſertioni adjicitur. Unde perjurium ad irreverentiam ipſius Dei, Mendacium verò ſimplex ad injuriam hominis tantum, qui inde fallitur, pertinet. *l. ſi quis major 41. C. de tranſact. l. fin.* ubi Bald. *C. de jurejur. cap. primum eſt. cauſ. 22. quæſt. 2.* Cicer. *pro Roſcio Amer.* Joan. Setſer. *de jurament. lib. 1. cap. 26. n. 1. & 2.* Paul. Gallerat. *de renunciat. lib. 3. c. 2. num. 39.* Ayrer. *in Proceſſ. jur. part. 1. cap. 7. Obſerv. 9.* Dn. Theod. Thumm. *de jurament. Rubr. de Effectu juram. fol. 95.* Quo ergò conventiones, pacta, fœdera aliavè Negotia publica eò firmiori vinculo necterentur & contrahentes eò ſanctius promiſſa ſervarent, inter mortales uſu invaluit, ut pacta, præſertim publica *Sacramento*, id eſt, invocatione divini numinis corroborentur & muniantur. Quod etiam Ethnici probè obſervarunt, ita ut Sophocles de juramento apud Stobæum dixerit: *Appoſito jurejurando, cautior & diligentior animus fit: à duobus enim ſibi tum cavet, & ne lædat amicos, & ne peccet in Deos.* Stobæ. *Sermon. 25.* Unde gentiles jurantes quandoque aras tenebant, ad conteſtandam divini Numinis venerationem. De quo ritu Cicer. *in Orat. pro Flacco.* Ac Tiberius Imperator, Judices, aut de plano aut è quæſitoris tribunali jus dicentes Legum & Religionis & noxæ, de qua cognoſcerent, admonebat, apud Sueton. *in Tiber. lib. 3. c. 33. num. 5. ubi*

Schil-

Schildius. Unde Juris utriusq; Doctores, multa conventionibus juratis tribuunt, quæ nequaquam propoſitionibus ſimplicibus conceduntur. Theod. Thumm. *de jurament. fol. m. 95.*.

II. Veruntamen à multis diſputatur: *An fœdera, pacta ac promiſſa Principum & Magnatum, juramento ex publica neceſſitate & vi bellica corroborata, firma ſint & maneant?* Q.
Sanè non pauci ex Aulo-Politicis hoc *negant*; Adeò ut nec illa quidem ex neceſſitate ac vi metuvé præſtita tam rata ſint & firma, quin illa occaſione quadam ob utilitatem Reipublicæ præterire & negligere liceat. Quâ exceptione fraudulenta uſi ſunt *Mediolanenſes*, dum ſe pacta & promiſſa juraſſe quidem, ſed juramentum attendere, non promiſiſſe, Imperatori Friderico Barbaroſſæ reſponderunt. Radevic. *de geſtis Frid. 1. lib. 2. c. 25.* Ita cum olim *Hero Eſſenſis* ex Friſiæ Proceribus armis ab Ezardo Friſiæ Orientalis Comite victus, ſervaturum ſe pacta ad aram juraret, *Ulricus* Dornumanus Heronis Frater ad aſtantes verſus: *Atque ego juro vobis*, (inquit) *Fratrem meum nihil eorum quæ promiſit, præſtiturum.* Ubbo Emmius *hiſtor. Friſic. lib. 57.* Dn. Forſtner *ad Tacit. lib. 2. fol. 219.* De *Græciæ* Civitatibus ſcribit Thucydides: Si quando juramento ſe invicem præſenti conſtricti neceſſitate adegiſſent, tamdiu id ratum fuiſſe, dum nullum aliunde ſubſidium ſperare poterant; Ubi alteri parti ſpes aliqua fortunæ affulſiſſet, protinus alios per fidem deceptos magis quam ex aperto aggredi jucundius fuiſſe; & hiſce malis artibus ſuperiorem induſtriæ famam conſecutam. Thucydid. *hiſt. de bello Peloponeſ. lib. 1.*

Quod in promiſſis & pactis juramento corroboratis non tantum de *jure Naturali*, ſed etiam de *jure Civili &*

Canonico verum eſſe quidam aſſerunt. Ea enim juramenta quæ nec vi, nec dolo, aut metu præſtita ſunt, ſervanda eſſe, Pontifex jubet. *in cap. cum contingat.* Ubi Alciatus *& cap. licet. X. de jurejurand.* Sanchez. *in decalog. lib. 3. c. 11. num. 20.* Ac Imperator *Fridericus II.* reſcribit: *Sacramenta puberum ſponte facta inviolabiliter cuſtodiri oportere: Per vim autem & metum extorta, nullius eſſe momenti, aut obligationis. in Auth. Sacramenta puberum C. ſi adverſ. vendit.* Ubi Antonius de Podilla Joan. Guttierez. & Doctores, Antonius Merend. *in controverſ. jur. lib. 1. c. 1. & ſeqq.* Læl. Mancin. *de relaxat. jurament. c. 17. quæſt. 2.* latè Leonhard. Leſſius *dict. c. 17. dubit. 7.* Hinc ad propoſitum reſcribit Pontifex Gregorius: *Pervenit ad Nos, Laodicenſem Epiſcopum ab Arnulpho Comite rebus ſuis ſpoliatum, & jurare compulſum eſſe, quod non repeteret ablata: Cognitâ igitur veritate valdè doluimus, aſſerentes ipſum Epiſcopum nullius juramenti vinculis ſuper hoc poſſe conſtringi: Quem tamen abſolvimus; quia nefandiſſima coactione juravit in cap. 2.* Ubi Auguſtinus Barboſa *X. de jurejurando. Quo facit. l. interpoſitas C. de tranſact.* Cardinal. Pariſ. *conſil. 139. n. 1. lib. 4.* Roland. à Valle *conſil. 100. num. 129. lib. 4.* Nevizan. *conſil. 52. n. 46.* Honded. *conſult. deciſ. 29. num. 15. lib. 1.*

III. Idem quoque dicendum eſſe cenſetur *de pace, fœderibus, inducîis* & ſimilibus *pactis publicis juratis*, ex metu majoris mali, aut periculi Reipublicæ avertendi cauſa propter neceſſitatem initis & conventis, in quibus Principatui aliquid decedit, ejusvè Regalia & jura grave damnum ſentiunt. Quoniam bona & jura Reipublicæ non ſunt in marſupio Regis, aut Principis, ut ille tali juramento ex neceſſitate, aut metu majoris mali præſtito, Reipublicæ præjudicare potuerit. Siquidem

Rex

Rex aut Princeps juramentum *arctius* & antiquius Regno ac Reipublicæ præſtitit, ſcilicet de non alienando quidpiam è Domanio, aut præjudicando Statui ſibi commiſſo in ſuis juribus & regalibus in quacunque parte. *pr. cap. intellecto. 33. X. de jurejur.* Marc. Anton. Natta. *conſil. 638. n. 46. vol. 3.* Molina *de jur. primogenit. lib. 1. c. 3. num. 17. & 18.* Valaſc. *deciſ. 132. n. 2.* Capedo *part. 2. deciſ. Luſitan. 17. & 40. n. 16.* Auguſt. Barboſa *ad cap. intellecto 33. X. de jurejur.* Ubi hoc exemplo Regis *Hungariæ* illuſtratur.

Nam in *Regno Hungarico* Rex in coronatione jurare tenetur, ſe jura Regni ſui & honorem coronæ acerrimè conſervaturum eſſe. Sicuti proviſum eſt in Receſſibus Regni Hungariæ; Quod neque cum conſilio, neque ſine conſilio, bona coronæ alienare velit. *Receſſ. Reg.* Albert. *de Anno 1439. art. 16. ac Receſſ. Reg.* Uladislai *de Anno 1514. art. 1. & 3.* Alia & quidem varia inſuper exempla quod Reges *de bonis coronæ* nihil alienare poſſint, recenſet Joan. à Sande. *tr. de prohib. rer. alien. cap. 6. num. 16.*

Huic antiquiori juramento, Princeps per poſterius juramentum derogare non potuit; Per *Regulam* qua traditur: Quod ubi ſecundum juramentum, priori licito & honeſto adverſatur, poſterius Principem nullatenus obligare poſſit. *d. cap. intellecto 33. & per cap. veritatis. 14. cap. à te. 22. X. de jurejur. Gloſſ. in cap. 2. X. eod.* Sylveſter *de Prierio, in ſumma tit. de juramento 4. n. 12.* Covarruv. *in cap. quamvis part. 2. §. 2. n. 4.* Gomez. *ad Leg. Taur. 53. num. 58.* Guttierez. *de jurament. confirmat. part. 1. cap. 51. num. 7.* latè Auguſt. Barboſa *ad cap. pervenit. 2. n. 3. & 4. X. de jurejur.*

IV. Et hoc eò magis verum obtinet, ſi promiſſio vel pactum, etiam juramento vallatum, aſt metu aut neceſſitate publica extortum fuerit. Bart. *in l. jus publicum.*

cum. ubi DD. ff. de pactis. Matth. *de Afflictis deciſ. 263.* Andr. Gail. *2. Obſerv. 42. n. 4.* Kellenbenz. *tr. de renunciat. quæſt. 42. num. 77.* Benckendorff. *ad Seraphin. de privileg. juram. privileg. 100. num. 8.* Unde in ſpecie traditur, quod Rex aut Princeps qui alienavit bona Coronæ, ipſemet propria authoritate data occaſione vindicare poſſit. Corſet. *de poteſt. Regia quæſt. 95. num. 60.* Ferdin. Vasquez. *d. ſucceſſ. creatur. §. 10. n. 248.* Alvar. Valaſc. *tom. 1. conſult. 69. num. 14.* Joan. à Sande *dict. tract. c. 16. n. 18.* Ita in *Galliæ* Regno Domanium, ejusque pars alienatum aut ceſſum per Regem quandocunq; repeti aut vindicari debere, multorum Regum edictis conſtitutum eſt, teſte Renat. Choppin. *de Doman. Franc. lib. 2. c. 1. num. 4. & 6. ac cap. 14. n. 17.* Ludov. Charond. *lib. 2. reſponſ. 1.* Quod in *Carolo* Regis *Ludovici XI.* fratre, & Apanagii conſtitutione exemplificat Petr. Matthæus *in vita Ludovici XI. lib. 5. n. 1. & ſeqq.*

Hujus juris hæc eſt *Ratio*; Quæ inſtar axiomatis à Peritis Status publici traditur, ſcilicet: Quando actus annullatur à lege conſideratione boni publici, tunc ipſe Paciſcens aut Alienator, contra proprium factum venire poteſt; Authoritate Reſcripti Imperatoris Valentiniani *in l. quemadmodum. 7. C. de agricol. & cenſit.* Arius Pinell. *ad l. 1. C. de bonis maternis part. 3. num. 73.* Andr. Tiraquell. *de retract. conſang. §. 26. Gloſſ. 2. num. 6.* Præſertim quod Domanii alienationis prohibitio, translationem dominii impediat *per l. fin. Cod. de reb. al. non alien.* Tiraquell. *de retract. conſang. §. 26. Gl. 2. n. 6.* Georg. Louet. *in deciſ. lit. 5. Arreſt. 9.* Johan. Bouuot. *in quæſt. deciſ. part. 1. verb. prohibit. vendit. quæſt. & arreſt. 1. per totum. cum præjudicio Parlamenti.* Et hoc adeò quidem in hoc Regno verum eſt, ut in Gallia contra jus Domanii, nulla ne quidem centenaria præſcriptio currat. Et hoc au-

thori-

Digitized by Google

thoritate edicti *Regis Franciſci I. 2. Junij. Anno 1539.* publicati & in Parlamento Pariſienſi *3. July* verificati & recepti, in verbis: *Veu meſmes, que par le dit edict la preſcription de cent ans ne peust eſtre opoſeé.* Sicut hoc ſingulari præjudicio & arreſto Parlamenti Gratianopolitani comprobat Claud. Expillus *in Arreſt. cap. 218. per tot.* Quod cum ita ſit, ideò multò magis Succeſſores Regni, aut Ordines, bona domanialia non ritè alienata vindicare, & in priſtinum Statum reducere poſſunt; Idque de *Regibus Neapolitanis* in ſcriptis mandavit Matth. *de Afflictis ad conſtit. Reg. utriusque Siciliæ 24. lib. ac deciſ. 240. n. 1.* Pari jure & ſanctione in *Regno Galliæ* Succeſſori cuivis liberum eſt, bona à Deceſſore Rege diſtracta priſtinum in Statum reducere, ut ad jus Regis ſolidum revertantur. Renat. Choppin. *d. doman. Franc. lib. 2. c. 1. n. 10.* Petr. Matthæus *in vita Ludovici XI. Galliarum Regis lib. 5. fol. m. 168. & 170.*

V. *Verum enimverò*, pactum, fœdus, tranſactio, aut alia conventio Regis aut Principis, etiamſi *Belli metu* inita & concluſa fuerit, ſi juramento firmetur, à Principe quam arctiſſimè obſervari & cuſtodiri debet. Adeò ut contraveniens vix à *Perjurio* ſeſe excuſare poſſit. Siquidem per juramentum homo non *homini* tantum, ſed etiam *Deo* obſtringitur, adverſus quem metus exceptio non admittitur. Nec cui juraveris, ſpectandum, *Divus Hieronymus* monet, ſed per quem. Alexandr. de Imola *in cap. verum. X. de jurejur.* Domin. Sotô *de juſtit. & jure. lib. 8. quæſt. 1. artic. 7.* Hugo Grot. *de jur. bell. lib. 3. cap. 19. n. 5. ac lib. 2. c. 13. num. 15.* Jacob. Vander Graef. *d. cap. 56. num. 8.* Quoniam igitur in & per juramentum, obligatio principaliter Deo quæritur; *per cap. Debitores. ubi Anton. de Butrio. Abb. Panormitan. & Can. X. de jurejur.* Et

perjurium reſpicit directè Dei irreverentiam, quæ propriè Religioni Chriſtianæ contraria eſt; Anton. Corne. *tr. de relaxat. à juram. part. 3. quæſt. 23. n. 80.* D. Thumm. *de jurament. tit. de effectu juram. fol. m. 95.* Ideò tanto fortius & ſtrictius pactum, aut promiſſio juramento vallata, cuſtodienda & adimplenda erit. Quoniam Deus T. O. M. ipſe præcepit: *Redde Deo juramenta tua. per cap. etſi Chriſtus. X. de jurejur.* Paul. Gallerat. *de renunciat. tom. 1. lib. 3. cap. 2. n. 39.* Plus enim operatur juramentum quam ſimplex promiſſio, idque metu divini numinis, ſecundum reſponſum etiam à JurisPrudentibus Romanis traditum *in l. quæ ſub. in princip. D. d. condit. inſtit.* Waremund. ab Ehrenberg. *de fœder. lib. 2. fol. m. 61.* Seraphin *de privileg. juram. Privileg. 19. n. 2. ac Privileg. 64.* Gallerat. *de renunciat. lib. 3. c. 2. n. 36. 39. & 40.*

VI. Proinde ſi promiſſio, aut pax metu majoris mali inita & concluſa, ab eo, qui cauſam metus dedit, ſervanda eſt, ſecundum ea quæ ante *in cap. 8.* deducta ſunt: Utique eò magis id dicendum eſt, ſi Pax iſta, vel pactio *Juramento* vallata fuerit. Quod & *Ethnici*, juramento vallatas pactiones ſtrictè ſervandas eſſe, ſcripſerunt & crediderunt; Qua de re eruditè diſputat Cicero *lib. 1. officior. ac lib. 3. eod.* aſſerit: Majores noſtros voluiſſe, nullum vinculum ad aſtringendam fidem jurejurando arctius eſſe. Quemadmodum *Lycurgus* in Orat. contra Leocratem affirmat: Jusjurandum eſſe nervum totius publici Status. Ac violato perjurio nomen Auguſti *Tiberius* Conſulibus reſcripſit: Jusjurandum perinde æſtimandum, quam ſi Jovem fefelliſſet. Deorum injurias Diis curæ. apud Tacit. *lib. 1. annal. c. 73.* Dn. Theod. Thumm. *de jurament. tit. de effect. juram. fol. m. 101.* Cum jura-

juramentum aſſumat naturam actus cui appoſitum fuerit. *per l. fin. C. de non numerat. pecun.* poſt alios allegatos Ant. Gabriel. *Comm. Concluſ. lib. 2. tit. de jurejurando. concluſ. 10.* Ideò quod inſtar Regulæ à Canoniſtis traditur, juramentum vi metuvé præſtitum, nullius eſſe momenti. *per cap. 2. X. de iis quæ vi metuvé. ac pr. l. intereſt. Cod. eod. tit.* Sanchez. *in Decalog. lib. 3. cap. 11. num. 20.* Læl. Mancin. *de relaxat. jurament. cap. 13. & 14.* Anton. Merenda. *controverſ. jur. lib. 1. cap. 11. n. 2.* Id in vi metuvé conditionali ſeu cauſativo locum ſibi non vendicat, præſertim ſi paciſcens manifeſtam violentiæ cauſam dederit. *per text. ſingularem in l. ſi mulier. 21. in princip.* Ubi Anton. Faber *in Rational. D. quod met. cauſ.* Sylveſter *in ſumma Tit. Metus. qu. 6.* Non enim jura ſuccurrunt ei, qui propria voluntate ſeſe in neceſſitatem præcipitavit. *l. 3. §. ſubvenitur. D. ad SC. Syllanian.* Ac is qui juſtè timet, & metus cauſa eſt, non ab alio timet, ſed à ſe ipſo. Donell. *in Comment. lib. 15. cap. 39.* Unde provenit diſtinctio valdè rationalis inter vim præciſam, & vim cauſativam, de qua Franc. Molina. *de ritu nuptiar. lib. 3. quæſt. 98. n. 3.*

VII. Hinc cum in cujuslibet poteſtate ſit nolle, etiamſi vis & neceſſitas afferatur, poteſt enim vim pati potius, quam conſentire: Hinc effatum illud provenit: Coacta voluntas eſt quoque voluntas. *l. ſi mulier § ſi metu. D. quod met. cauſ.* Mancin. *in ſacr. jur. controverſ. libr. 8. c. 8. num. 14. & ſeqq.* Donell. *in Comment. lib. 15. c. 39.* Ubi Hilliger. Præſertim cum varii caſus in jure occurrant, in quibus vis quandoque juſta dicitur; qualis eſt vis ex ſententia Judicis orta; cum ſententiæ executio per vim juſtam, utpote contra contumaces ſuſcipitur, *per text. in l. quoniam 18. ibi:* vim executionis eludunt. *D.*

d. appellat. ac juris executio nullam infert injuriam *l. injuriarum actio.§. 1. D. d. injur.* Duaren. *ad r. quod met. cauſ. c. 1.*

Idcirco ſi pars ad evitandas executionis moleſtias quidpiam promittat, idque juramento corroboret, conventionem, etiam per vim initam ſervare tenetur. Quoniam edictum quod metus cauſa, non ad eum pertinet, qui metus cauſam dedit, ſed qui metum injuſtè patitur. *per text. in l. metum. 9. in pr. & l. item. 14. §. in hac. D. quod met. cauſ. arg. ſi verum. X. de jurejur.* Jerem. Setſer. *de jurejur. lib. 1. cap. 19. num. 11.* Franc. Duaren. *ad tit. quod met. cauſ. cap. 1. in med.* Baſil. Pont. *de matrim. lib. 4. c. 13. num. 1.* Ac is qui hoc modo conſentit, eligit ex duobus malis, quod minimum eſt, & mavult contrahere, paciſci aut pacem cum hoſte ſuo inire, quam interfici, aliudvè gravius malum pati, ſecundum Ariſtot. *libr. 3. Ethic. cap. 2.* Matth. Weſembecc. Paratitla *D. quod met. cauſ. n. 1.* Paul. Gallerat. *de renunciat. tom. 3. Renunciat. 120. num. 2.* Ubi autem electio eſt, ibi etiam voluntas, nam quod per metum fit, eſt involuntarium ſecundum quid; & ſimpliciter voluntarium, habens admixtionem involuntarii. Ariſtotel. *lib. 3. Ethic. c. 1.* Nam ſi quis metu renunciat, tranſigit, aut paciſcitur, tunc intus in patiente exiſtit actionis origo, quæ à voluntate minus malum eligente proficiſcitur. Paul. Gallerat. *de renunciat. lib. 3. c. 11. per tot.* Nec huic voluntati accedens juramentum irritum, & ſub prætextu metus vel neceſſitatis invalidum erit. Thom. *de Aquin. 2. quæſt. 118. art. ult.* Covarr. *ad cap. quamvis de pact. part. 3. §. 4. num. 2. ac variar. Reſol. 1. cap. 4. n. 6.* latè Paul. Comital. *lib. 2. reſponſ. moral. quæſt. 21.* Læl. Mancin. *de relaxat. juram. cap. 16. per tot. Et in ſacri jur. controv. d. lib. 8. c. 8. & ſeqq.*

VIII. Quod Dn. Theod. Thummius P. P. Tub. in

Hoſte

Hoſte aut Latrone exemplificat; *Si quis* (ait) *igitur interveniente juramento Latroni promittat Ducentos aureos, ut vitam redimat, debet juramentum de re licita, id eſt, quæ præſtari poteſt, ſine ſuo peccato ſervare, quamvis terrore coactus juraverit; Quia is qui habet jurandi poteſtatem, & ſciens jurat de re licita, neceſſariò debet ſervare hoc juramentum, juxta ſecundum præceptum Decalogi, cum talis actio ſit verè juramentum. Nec valet eluſio de violentia; nam revera voluntas in ea actione libera eſt, quia eligit minus damnum, ſcilicet jacturam pecuniæ, ut retineat vitam; Hæc electio poſtquam facta eſt, nequaquam vult Deus, perjurio vitam aut pecuniam redimi, atque rectè de talibus rebus licitis dicitur:* Voluntas *coacta apparens, eſt etiam* Voluntas, *ſcilicet, quæ rem licitam eligit liberè, ſcienter item & volenter. Tales actiones vocat* Ariſtoteles, *mixtas; Et tamen revera voluntariæ ſunt.* Hæc Thumm. *dict. tr. de jurament. Tit. de effect. jurament. fol. 100. & ſeqq.* Quare Cicero *de Marco Attilio Regulo,* non tantum quod glorioſè fecerit, laudat, ſed eum neque aliter facere potuiſſe, aſſerit: *Non debuit,* inquit, *conditiones, pactioneſque bellicas perturbare perjurio.* Cicero *de offic. lib. 3.* Franc. Zypæus *contra Coſſan. lib. 2. cap. 9.* Huc benè faciunt ea quæ tradit Michael Salon: *In Contractu* (ait) *valido juramentum eſt tantum confirmatio* illius Contractus; *In Contractu verò violento & invalido, is qui jurat,* aut *jurat id, quod ſine peccato ſibi licet exercere;* Aut *quod ſine peccato ab ipſo fieri non poteſt. Si juret hoc poſteriori modo, Paciſcens non tenetur ſervare juramentum, nec contractus per tale juramentum redditur validus; Imò jurare illud eſt peccatum, & ſervare juramentum, quo res iniqua jurata eſt, eſt grave delictum.* (Quoniam juramentum non debet eſſe vinculum iniquitatis) *Quod ſi juratur* priori modo, *tunc licèt ille contractus ſimpliciter & ſecundum ſe invalidus ſit, promiſſio tamen ſervanda eſt, propter virtutem religionis*

Digitized by Google

ligionis; quia Dei nomen aſſumptum eſt, & adductum in teſtimonium rei, quæ ſine peccato effici poteſt. Michael. Salon. *de juſtitia & jure, circa contractus & commercia. quaſt. 88. art. 3. controverſ. 1. n. 12. & 13.* Quo collimavit quoque Dn. Theodorus Thummius; ſi de re licita (*ſcribit*) ac poſſibili juramentum præſtitum eſt, religiosè cuſtodiri debet, ſi vel maximè videatur durum & difficile. Qui juravit (*ait Pſalm. 15. verſ. 4.*) in damnum ſuum, (quod rebus ſuis obeſſe videt) & non mutat, is habitabit in monte Domini. latè Dn. Thumm. *de jurament. tit. de effectu jurament. fol. m. 96. & 100.* Et hoc aliquanto latius extendere videtur *Hugo Grotius*, dum infert; *Qui Injuſto metu coactus promiſit, teneri poterit accedente jurisjurandi religione; Nam exinde non homo homini, ſed & Deo obſtringitur, adverſus quem metus exceptio non eſt. Veruntamen ex tali vinculo ſolo, promittentis heredem non teneri, quia in heredem tranſeunt, quæ in humano ſunt commercio ex primæva Dominii lege. At in his non eſt jus illud Deo quæſitum qua tale.* Hugo Grot. *de jure belli lib. 3. c. 19. n. 5.* Vide Panormitan. *in cap. cum contingat. n. 5. & 21. & cap. ſi verò. X. de jurejur.* Andr. Gail. *2. Obſerv. 42. num. 2. & 5.* Jerem. Setſer *de juramento, lib. 1. cap. 19. per tot.* Dominic. Soto. *de juſtit. & jur. lib. 8. quæſt. 1. art. 7.* Cajetan. *eod. tr. art. 9.* Dn. Thumm. *d. tr. fol. 101.* Ubi contrariis reſpondet.

IX. Quod ſupra de prohibita *bonorum Dominialium*, & bonorum Coronæ alienatione dictum eſt, quod Rex aut Princeps de hiſce, ne quidem interpoſito juramento, quidpiam alienare poſſit: communiter *Limitatur I.* in caſu quo alienatio facta ſit ex cauſa neceſſitatis, vel ex cauſa belli ad pacem obtinendam, ad belli ſumptus ſuſtinendos, aut ut Stipendia militaria ſolvantur, ſicuti

hoc

hoc limitat Renat. Choppin. *tr. de Domanio lib. 2. tit. 14. num. 4. & ſeqq.* Joan. Bounot. *part. 3. quæſt. notabil. verb. Domaine du Roy.* Joan. Sande *de prohibit. rer. alienat. c. 6. §. 4. num. 21. & ſeqq.* Ubi varias limitationes recenſet.

Princeps enim pacis gratia paciſcendo, de ſuo Dominio ſeu Dominatu quippiam amittere, quam nimis pugnaciter & pertinaciter certando, ſe ſuamque Rempublicam in extremum diſcrimen adducere, jure optimo poteſt. Authoritate & deductione Marci Mantuæ *tom. 2. conſil. 241. per tot.* Hinc in jure conſtitutum eſt, ut Prohibitus alienare, poſſit tamen ex cauſa neceſſaria alienare. *per textum & Reſponſum JC. in l. 1. D. de fund. dotali.* Ubi dicitur: Quod licet fundus dotalis alienari non poſſit per maritum, lege Julia prohibente: tamen ex cauſa damni infecti, marito non cavente, Vicinus poteſt immitti in poſſeſſionem rei dotalis, quia talis alienatio neceſſaria dicitur. Ruin. *27. n. 4. vol. 4.* Petr. Anton. de Petra. *de fideicommiſſ. quæſt. 8. n. 255.* Pari modo & ratione, Bona fideicommiſſo ſubjecta & alienari prohibita, in favorem dotis à Patre pro conſtituenda dote alienari poſſunt. *per Auth. Res quæ. C. comm. de Legat.* Sicuti etiam, pro conſtituendis alimentis, tanquam ex neceſſaria cauſa bona fideicommiſſaria vendi poſſunt. *l. 1. & 2. C. de patr. qui liber. diſtrax.* Similem permiſſionem pro liberatione filii à captivitate jura Parentibus permittunt. Prout hæc & alia exempla recenſet Tiraquell. *de legib. connubial. gloſſ. 8. quæſt. 35. num. 282.* Marc. Anton. Peregrin. *de fideicommiſſ. articul. 42. n. 32. & ſeq. n. 86. & 90.* Guido Papæ, in caſu dotis loquens *deciſ. 96.* Ludov. Molina, JureConſ. *de jure primogenit. lib. 4. cap. 6. n. 8.* latè Vincent. Fuſar. *de fideicommiſſ. quæſt. 534.* Franciſ. Cenſal. *in Obſervat. ad Peregrin. 42. fol. m. 275. & 283.*

X. Ex hac ratione Imperator *Fridericus I.* cum filio *Henrico VI.* Anno MCLXXIX. Civitatibus Italiæ in Longobardia ſitis, quæ tandem ipſi rebelles fuerunt, tantum libertatis & juris paſſim pace Conſtantienſi indulſit, ut ad evitandum majus malum pax in Imperio & inter Subditos inducatur, & conſervetur, de quo eſt textus *in Extravagant. De pace Conſtantia*, ac apud Radvic. *ad Otthon. Friſingenſem in ſupplem. lib. 1. cap. 42.* Matth. *de Afflict. de pace juram. firmat. in §. conventicula. n. 32. de feud.* Petr. Gudelin. *de pace cap. 9. in fin.* De qua pace ſequentia refert Abbas Urſpergenſis Suevus: *Jam bellis omnibus fatigatus Imperator* (Fridericus Barbaroſſa) *Lombardis omnibus condixit Curiam apud Conſtantiam, ubi Principes & Poteſtates eorum ſe repræſentarunt, & pacta quædam de faciendo ſervitio Imperatori de ſingulis Civitatibus Lombardiæ ibidem ſtatuta ſunt, quæ adhuc dicunt ſe tenere in ſcriptis, nec ad ſerviendum ultra hæc compelli volunt. Concedit Imperator hac conſtitutione, Regalia quædam Civitatibus Lombardiæ, quædam ſibi retinet, maximè Fodrum & inveſtituram Conſulum ac Vaſallorum.* Hæc Abbas Urſpergenſis. *in Chron. ſub Friderico I. ad Annum 1179. fol. m. 227.*

XI. Simili modo pro tuitione regionum, licet Chriſtianis pacem inire cum infidelibus. *in l. in nomine Domini. 2. Cod. de Offic. præfect. prætor. Afric.* Ubi *Juſtinianus* Imperator æternam pacem iniit cum *Rege Perſarum.* Tiber. Decian. *in ſubſcriptione Mart. Mant. conſil. 241. per tot.* Sicuti aliàs, pax & alia pacta publica, quamvis non omni ex parte æqua ac juſta, tamen ob publicam utilitatem & neceſſitatem ſuſtinentur, eligendo ex duobus malis, id quod minus eſt, quo pax inter ſubditos conſervetur. *per l. 1. §. quies. D. de offic. Præfect. Urbis. l. ſi quis inge-*

ingenuum. D. de captiv. & poſtlim. reverſ. Bartol. *in l. ambitioſa D. d. decret. ab ordin. fac.* Marc. Mantua *tom. 2. conſil. 241. num. 27.* Vide exempla apud Joan. Caramuel. *de Pace licita Germaniæ part. 4. Quæſt. 20. num. 362. & ſeqq.* Ac quicquid incommodi aut detrimenti ob pacem ex neceſſitate concluſam Reipublicæ aut privatis emergit, publica utilitate, nempe ut totum conſervetur, reſarcitur. Nam ut Levinus Conſul Romanus apud Titum Livium ait: *Reſpublica incolumis & privatas res facilè præſtat ſalvas.* Livius *hiſtor. lib. 26.* Similia tradit Cornelius Tacitus: *Habet aliquid ex iniquo omne magnum exemplum, quod contra ſingulos, utilitate publica rependitur.* Tacit. *lib. 14. Annal. cap. 44.* Et Plutarchus alibi: *à juſtitia in parvis rebus nonnunquã abeas, ſi ſalvam eam voles in magnis.* Arnold. Clapmar. *de Arcan. Rerumpubl. l. 4. c. 4.* Reimit. *de Ærario. lib. 2. cap. 6.*

XII. Obſervandum eſt, II. Quod, ſi Rex aut Princeps juratò in ipſo inaugurationis actu promittat, & Statibus Regni vel Provinciæ ſtipuletur ſub juramento, quod de Regno vel Provincia, ejusque Juribus nihil alienare aut remittere velit: & tamen interveniente neceſſitate publica, aut vi bellica ob pacem obtinendam, remittat aliquid aut paciſcatur id, quod in detrimentum Reipublicæ vergit; tùm hoc Pactum publicum adeò validum ſit, ut Rex aut Princeps ne quidem juramenti relaxatione opus habeat. Ipſa enim neceſſitas publica juramenti vim reſolvit ſine Superioris vel Pontificis relaxatione, ſecundam ea quæ tradit Marc. Mantua *tom. 2. dict. conſil. 241.* Dn. Doct. Dorſchæus. *in Anticriſi Theologica adverſ. Euſebium ad dict. conſil. 241. Obſervat. 4.* Hinc ad noſtrum propoſitum optimè tradit (aliis mutandis) Dn. Joan. Caramuel: *Omnes Contractus Imperantium,*

eſt, communiter traditur, ſecundum allegatos à Nicol. Reusner. *lib. 3. conſil. 22. num. 19.* Joan. Baptiſt. Cæſar. *lib. 1. conſil. 6. num. 147.* Siquidem iniquum non eſt, ut is, qui utitur adminiculo aliquo ex Perſona Authoris, eo uti debeat cum ſua cauſa, ſuisque vitiis. *per l. Pomponius 13.* ubi Zaſius *numer. 3. D. de Acquir. Poſſeſſ. lib. 25. §. ult. D. ſolut. matrim.* Dn. Tabor. *de Officio ſucceſſ. cap. 4. num. 3.* Joan. Anton. *ab Eccleſia Obſerv. Forenſ. 32. n. 14.* Ac Succeſſor melioris conditionis eſſe non debet, quàm ipſius author. *vulg. l. qui in jus. D. de R. l. fin. §. 1. D. ad ſc. Velleian. l. alienatio. C. de contrah. empt.* Flamin. *de Rubeis. conſil. 23. n. 141. vol. 1.* Et hoc latiſſimè exemplificat & deducit in proſecutione inſtantiæ ab Anteceſſore captæ, & à ſucceſſore majoratus continuatæ, Joan. Bapt. Larrea, *in deciſ. Granat. Diſput. 35. per tot.*

II. Hinc Caput hoc inter Regias quæſtiones meritò numeramus; Scilicet: *An Princeps aut Comes Imperii Succeſſor in Ducatu aut Comitatu ex dicto, facto, pacto aut Stipulatione Anteceſſoris obſtringatur?* Hanc Quæſtionem variè pertractat per varias diſtinctiones. Dn. Reinking. *de R. S. & E. lib. 1. Claſſ. 3. cap. 10. per tot.* Eamque diſputationis gurgitem appellat Hering. *de fidejuſſ. part. 5. cap 27. num. 101.* præclarè eandem examinat Matth. Cuno *P. P. Francofurt. ad Viadr. tr. de pactis, lib 1. cap. 24. num. 42. & ſeqq.* Per varios caſus variè definit hanc quæſtionem Dn. Tabor *de Obligatione ſucceſſ. in offic. cap. 5. per tot.* Sanè ſi *cum ipſo Populo*, hoc eſt, *cum Principe ac ordinibus Provinciæ ipſis* facta ſit conventio, pax aut aliqua alia tranſactio, illam tranſitoriam eſſe ad Principes Succeſſores non ambigitur; Quoniam (juxta Tacitum *lib. 3. Annal.*) Respublicæ ſunt æternæ, eædemque ſemper manent, licet mutentur 2.

 ii, qui

ii, qui Reipublicæ aut Principatui præſunt. Dn. Forſtner. *in Tacit. lib. 3. fol. m. 231.* Unde haud ineptè dixit Demoſthenes: *Etiam poſteros implicaſtis pace.* Demoſth. *Orat. 2.* Pariter ut Jure Conſulti de nave reſpondere ſolent, aſſeribꝰ paulatim exemptis, nihilominus priorem permanere navem *Afflictis deciſ. 101.* Carol. Tapia *ad l. fin. part. 2. cap. 9. num. 16.* Vide quoque Cravettam. *conſil. 404. num. 31.* Alber. Gentil. *de jur. bell. lib. 3. cap. 22. fol. m. 680.* Beſold. *de Pace ejusq; jur. cap. 4. num. 4.*

III. Sed magis Doctores diſputant de Pacto, conventione, ſtipulatione, fœdere aut pace *cum Principe ſolo, inita*, Qui morti obnoxius exiſtit, ac cujus Succeſſores non tanquam hæredes, ſed tanquam æquè Principales, ac ut novi Adminiſtratores ad Principatum accedunt. Sanè in hoc gravi articulo communiter Publici juris Conſulti concludunt: *Principem aut Statum Imperii ex Conceſſione aut Conventione ſui Anteceſſoris teneri, ac obligatum eſſe*, proinde ea de cauſa validè in judicio ſupremo conveniri poſſe. Ego omiſſis ambagibus brevitati ſtudendo reſolutivè *Dico I.* Promiſſiones, Conceſſiones aut Conventiones, non ex cauſa privata ſed propter *Uſum aut neceſſitatem* Principatus aut Comitatus publicam initæ Succeſſorem quoque in Ducatu aut Comitatu obligant, ab eoque præſtanda ſunt. Cardinal. Mantica. *de tacita Convent. lib. 27. tit. 5. num. 1.* Peregrin. *de jure fiſci cap. ult. n. 87.* Joan. à Sande *tr. de prohibit. rer. alienat. cap. 6. num. 22.* Utile autem vel neceſſarium Reipublicæ non dicitur, quod nunc utile vel neceſſarium eſt, ſed quod tunc erat, cum conſtitueretur. ſecundum Arniſ. *de jure Majeſt. lib. 1. cap. 7. num. 13.* Quo faciunt tradita Cravettæ *conſil. 404. n. 21. & 22.* *Dico II.* Conventiones aut Conceſſiones

quæ

quæ ſub *nomine Dignitatis*, aut ex *natura Officii* Principalis factæ ac peractæ fuerunt, Principem Succeſſorem æquè, quàm Contrahentem aſtringunt. Mandell. de Alba. *Conſil. 67. num. 1. quæſt. illuſtr. 19. num. 10.* Gotofr. Anton. *diſput. feud. 7. theſ. 1. lit. E.* Carpzov. *part. 2. Conſtit. 29. definit. 21. num. 7.* Schrader *de feudis part. 4. cap. 1. numer. 21.* Dignitatis autem nomine peraguntur, quæ fiunt de re vel negotio ad ipſam dignitatem Principalem pertinente. Quæ ipſe Princeps Succeſſor, ſi tùm temporis in Adminiſtratione fuiſſet, probabiliter feciſſet, aut facere obligatus erat *per Cap. quoniam abbas. Ubi DD. numer. 1. X. de offic. delegat* Jacob. Mandell. *conſil. 67.* Arniſæ. *dict. cap. 7. num. 13.* Georg. de Cabedo *deciſ. Luſit. 19. num. 5.* Matth. Cuno *de Pact. lib. 1. cap. 22. num. 68.* rejecta diſtinctione Capyc. *deciſ. 121. num. 6.*

IV. *Dico III.* Succeſſorem in Ducatu aut Comitatu teneri ad obſervationem Contractus, juxta *morem & conſuetudinem* Ducatus aut Comitatus celebrati, licet hæreditatem Ducis aut Comitis obligati non adierit. Gabr. Roman. *Comm. Concluſ. lib. 3. tit. de jure quaſit. concluſ. 5. num. 12.* Matth. Cuno *tr. de pactis libr. 1. cap. 24. num. 48. & 69.* Conſentiunt DD. plerique omnes, quos vide præſertim apud Martin. Mager. *de Advoc. armat. cap. 16. num. 821.* Gylmann. *lib. 2. deciſ. Camer. 51. num. 21. & ſeqq.* Caſp; Klock. *de contrib. cap. 8. num. 78. & ſeqq.* Conſil. Arg. *24. numer. 25. & ſeqq. vol. 2.* Quorum omnium hæc ratio evidens eſt; Quoniam ea quæ Princeps aut Comes tanquam *Adminiſtrator* Reipublicæ, exigente utilitate aut neceſſitate publica gerit tractatque. Herm. Vult. *conſil. 35. num. 116. vol. 3.* Weſenbec. *conſil. 109. num. 19.* Aut quæ ex ordine ad *Officii* rationem

& adminiſtrationis dignitatem pertinent. Reinking. *dict. cap. 24. num. 48.* Aut ſecundùm *morem & conſuetudinem* Ducatus fiunt. Matth. Cuno. *dict. cap. 24. num. 48.* Non in perſonam, ſed in rem concepta & contracta cenſentur. Bald. *in cap. ult. X. de Sent. & re judic.* ac in *Conſil. 159. lib. 3.* Arniſ. *dict. cap. 7. num. 13.* Hoc eſt, ut id *Dn. Tabor* interpretatur: Quoniam hujusmodi Contractus & Conceſſiones non tam à Majeſtate aut dignitate perſonali, quam à reali vel certè hujus reſpectu geſta cenſentur *per cap. licet. cap. 1. X. de probatione cap. abbate ſane. in. pr. de re judic. in 6.* ibi fuerint nomine Regni facta. Klock. *de contrib. cap. 8. num. 71.* Franciſc. Zypæus *in Tract. contra Caſſan. lib. 2. cap. 13.* Nec tam à Capite quam à Corpore Reipublicæ dependere videntur. Beſold. *tr. de Majeſt. cap. 1. num. 4.* Adeò quidem ut in hiſce caſibus non tam Princeps quam Principatus per Principem paciſci aut contrahere intelligatur. Quod bene deducit Petr. Gudelin. *de pace cap. 12. fol. m. 63.* Boer. *deciſ. 204. numer. 42.* Pereing. *conſil. 1. num. 13. vol. 2.* late Caſp. Klock. *de Contribut. c. 8. n. 68. & ſeqq.*

V. Princeps enim duplicem perſonam ſuſtinet; Unam qua homo, quæ moritur; Alteram, qua organum ſeu inſtrumentum Reipublicæ, per quod omnia quæ Princeps rectè egit, Reſpublica agere, facere, operari creditur, quæ inconcuſſa mortis expers permanet, *benè* Frid. Pruckman. *de ſolut. poteſt. cap. 4. membr. 2. effect. 2. num. 10. & 18. fol. 403.* Quemadmodum ergo Dignitas Principalis cum perſona Principis nunquam interit, ſed cum omni ſua cauſa in Succeſſorem in Principatu, etiam per Electionem devolvitur *per cap. 51. ibi*: quia ſalus nunquam moritur, *de Reſcript. in 6. cap.*

quem.

Digitized by Google

quemadmodum X. d. offic. delegat. l. proponebatur. D. de judic. Alciat. in l. centeſimis. 46. §. ſi ita ſtipulatus n. 17. D. de V. O. Matth. Weſenbecc. *conſil. 316. num. 115.* Marc. Anton. de Amat. *deciſ. Ferrar. 17. num. 15. & ſeqq.* Martin. Mager. *d. Advocat. armat. cap. 16. num. 821.* Gylman. *lib. 2. deciſ. Camer. 51. num. 17.* Doctor Marta *conſil. 40. num. 10.* Ubi loquitur de promiſſione Anteceſſoris ſui. Adeo quidem ut Dignitas tàm defuncti Principis, quàm ſuccedentis, eadem in utraque Perſona eſſe cenſeatur, nec variata videatur: *per l. meminiſſe D. de offic. Proconſul.* Alciat. *conſil. 4. num. 61. vol. 4.* poſt alios. Caſp. Klock. *de Contrib. cap. 8. n. 68. & ſeqq.* Nicol. Noalis *de transmiſſ. caſ. 50. à num. 1. & ſeqq.* Theod. Hoppingk. *de jure inſignium c. 21. num. 233.* In terminis Ducum, & Comitum Imperii hoc tradit Conſil. Argentor. 2. *num. 91. vol. 1.* Unde Gallicum Proverbium haud dubiè ortum eſt: *Le Roy ne meurt jamais.* Dn. Lans. *in Conſult. pro Gallia,* Caſp. Klock. *d. c. 8. n. 75.* Ita haud abſonum, ſed magis æquum ac juſtum eſt, quod conceſſio & obligatio quæ nomine dignitatis, aut officii ratione vel propter utilitatem Reipublicæ contracta eſt à Principe, una cum Dignitate & Principatu in Succeſſorem tranſeat. Bald. *in l. 1. n. 3.* Jaſon. *num. 14. D. de Conſtit. Princip.* Tiraquell. *de jure primogen. quæſt. 35.* Reinking. *d. cap. 10. numer. 30.* poſt alios Andr. Khol. *de ſubfeud. cap. fin. num. 62.* Vide late de Obligatione Succeſſoris in officio Salgalo de Samoza *tr. de regia potent. part. 1. cap. 3. num. 82. & ſeqq.* Unde bene tradit ad propoſitum *Joan. de Platea*; ſcilicet Succeſſorem hoc caſu conveniri poſſe, & actione generali ex contractu, *per cap. 1. X. de ſolut. cap. ſignificavit X. de reſcript.* Et Hypothecaria reſpectu rerum & bonorum Dignitatis pro quibus impenſa neceſſaria facta eſt, *per l. 4. D. in*

quib. cauſ. pign. l. interdum. 5. D. qui pot. in pign. Joan. de Platea *ad l. providendum 23. C. d. decurion. lib. 10.* Dn. Tabor *tr. de obligat. Succeſſ. in offic. cap. 4. num. 14.* Quo faciunt tradita à Ludov. Molina *de Primogenit. Hiſpan. lib. 1. cap. 10. num. 30. & ſeqq.* Ubi Gylman. de la Motta. Jacob. Rebuff. *ad d. l. providendum num. 2.*

VI. Præter hucusque deducta, *Imperatores* quoque Romani, tàm *Ethnici*, quàm *Chriſtiani*, licet & abſoluta Poteſtate utebantur, Anteceſſorum ſuorum Conceſſiones & Conventiones ſarta tecta obſervari ac perpetuo jure gaudere æquum & juſtum eſſe cenſuerunt. Ita Imperator *Theodoſius & Valentinianus* Locationes prædiorum Domus illuſtris perpetuo jure valere reſcripſerunt *in l. fin. ibi* : Jure igitur perpetuo publici contractus. *C. de Locat. præd. civil.* Optimum quoque extat Reſcriptum Imperatorum Honorii & Theodoſii *in l. fin. C. de re judicat.* Quo cònſtitutum eſt, quod geſta, quæ translata ſunt in publica monumenta, habere debeant perpetuam firmitatem : Neque enim morte Cognitoris perire debet publica fides. Similiter Fundos à Principe aut hujus Anteceſſore donatos, inconcuſsè poſſideri, & ad poſteros transmitti, reſcripſit Imperator *in. l. hi quibus 6. C. de fund. Patrim l. 11.* Ita Poſſeſſiones à Fiſco comparatas, nullo jure à ſe retrahi, ſed propria firmitate poſſeſſas etiam ad poſteros perpetuò transmitti, ſtatuit Imperator Conſtantinus *in l. 5. C. de fundis rei privat.* Conſentiunt Reſcripta *in l. fin. C. in quibus cauſ. colon. lib. 11. l. bene à Zenone 4. C. de quadrienn. præſcript.* Vide Baro Enenckel. *tr. de Privileg. lib. 3. cap. 11. num. 16. & ſeqq.* Quod aliorum quoque Imperatorum Exemplis corroboratur & illuſtratur. Nam

apud

apud Tacitum legimus: Nefas habitum Tiberio infringere dicta Auguſti. *Tacit. lib. 1. annal. cap. 77.* Imò, omnia ſe facta dictaque Auguſti vice legis obſervare, idem Tiberius aſſerit apud Tacitum *lib. 4. Annal.* idem refert Strabo in *Geographia lib. 6. in fin.* Simili modo Adrianus Cæſar, cum ei triumphum Senatus, qui *Trajano* debebatur, detuliſſet, recuſavit ipſe, atque Imaginem Trajani curru triumphali vexit: ut optimus Imperator ne poſt mortem quidem, triumphi dignitatem amitteret. Spartianus *in vita Adriani.* Adrianum ſecutus *Antonius Pius* his, quos Adrianus damnaverat, in Senatu indulgentias petiit, dicens: Etiam ipſum Adrianum hoc fuiſſe facturum; *teſte* Capitolin. *in Antonin.* Pari ratione Pertinax Imperator donativa & congiaria, quæ *Commodus* promiſerat, ſolvit. *Capitolin. in Pertinac.* quod latiſſime illuſtrat Arniſæus *de jur. majeſt. lib. 1. cap. 7. num. 8.*

VII. Ulterius etiam hoc ſummoperè conſiderandũ, quód ſi *Princeps Anteceſſoris ſui facta*, conventiones & promiſſiones non adimplere, aut firma fide tenere, ſed nihili facere velit, Ejusdem quoque publica fides maximè labefactaretur. Nemo enim cum eo contrahere volet, propter periculum & incertitudinem, ne contractus illos Succeſſor reſcindat: Adeo ut Princeps deterioris eſſet conditionis, quam *Privatus*; ſiquidem nemo cum ipſo libenter contraheret, dum ejusdem contractus à Succeſſore irritari, metuendum foret, eà ratione, qui Princeps eſſet omnium, commercio omniũ careret. plenè Petr. Reck. *in cap. decet. 16. n. 2. de Reg. jur. in 6. arg. l. ratas. 7. C. de reſcind. vendit. l. ult. C. de indictâ viduit. toll.* Henn. Arniſ. *de jur. majeſtat. libr. 1. cap. 7. n. 7.*

Præterquam quod juſtitia & rationis ordo ſuadet, ut qui à Succeſſore Contractus ſuos & mandata ſervari deſiderat, Prædeceſſoris ſui contractus & voluntatem cuſtodiat. quod præclarè Pontifex deducit *in Can. juſtitia. cauſ. 25. quæſt. 1. Can. neque in fin. diſtinct. 9.* Beſold. *conſil. 113. num. 8. & 9.* Unde benè ad propoſitum inducitur dictum *Gregorii Magni*: Si ea deſtruerem, quæ Prædeceſſores noſtri ſtatuerunt, non Conſtructor, ſed Everſor juſtè nuncuparer, in *Can. ſi ea. 4. cauſ. 25. quæſt. 2.* Bald. *conſil. 326. vol. 1.* Roland. à Valle, *conſ. 100. n. 139. & ſeqq. vol. 4.* Tiber. Decian. *conſ. 25. num. 24. vol. 1.* quod late deducit Baro Enenckel. *de privileg. lib. 3. cap. 10. n. 25. 36. & paſſim.* Ita in terminis Principum & Statuum Imperii cenſent: Henning. Gædden. *conſil. 3. de Civitat. jur.* Hieron. Schurf. *conſil. 72. num. 8. cent. 2.* Matth. Cuno *tr. de pactis. libr. 1. cap. 24. n. 42.* Petrus Heigius *illuſtr. quæſt. 19. num. 10.* Buxtorff. *ad Aur. Bull. concluſ. 37. lit. C.* Rauchbar. *libr. 2. quæſt. 11. num. 70.* Ludolph. Schrader. *conſil. 9. per tot. lib. 1.* Herm. Vultej. *3. conſil. Marpurg. 35. num. 116.* Pruckman. *tr. de abſolut. poteſt. membr. 2. effect. 4. quæſt. 2.* Ubi hoc abſolute defendit *ac in libr. 2. conſil. 19. num. 24.* Roſenthal. *de feudis cap. 6. concluſ. 17. lit. C.* Joach. Cluten. *in ſyllog. rer. quotid. theſ. 18. lit. F.* Syring. *de pace relig. concluſ. 18. lit. C.* Poſt alios Martin. Mager, *de Advoc. armat. cap. 16. num. 821.* Caſpar Klock. *de Contribut. cap. 8. num. 79. & 84.* Conſil. Argentor. *30. num. 44. vol. 1. ac conſil. 2. n. 39. vol. 1. ac conſil. 24. num. 25. & ſeqq. vol. 2.* Quod latiſſime deducit Baro Enenckel. *dict. cap. 10. per tot.* Adrian. Gylman. *deciſ. Cameral. 51. à num. 22. & ſeqq.* Dn. Tabor. *dict. tract. cap. 5. num 14.* Qui varios JCtos allegant, inter quos inprimis vide Menoch. *conſil. 1. num. 228. ac conſil. 264. num. 15.* Cravetta *conſil. 404. per tot.* Quod latiſſimè

examinat Franc. Burſat. *conſ. 16. num. 55.* ac Claud. Seyſel. *de feudis. tit. de his qui feud. dare poſſ.* Franc. Nigr. Cyriac. *controv. forenſ. 204. num. 95. & ſeq.* Quamvis aliter ſentiat Matth. de Afflictis. *in cap. 1. num. 52. & 95. Qui Succeſſor teneatur.* Tiber. Decian. *reſponſ. 25. n. 2. vol. 1.* & alii. inprimis etiam Ludovic. Molina *de primogen. Hiſpan. libr. 1. cap. 10.* Quorum rationes collegit Matth. Cuno. *dict. cap. 24. num. 52. & ſeqq.*

VIII. Sanè quæ dicta ſunt de Electore, Principe, aut Comite ſeculari, ea quoque vera ſunt *in Principibus Imperii Eccleſiaſticis.* Hinc ſi ArchiEpiſcopus, Epiſcopus aut Abbas Imperii vel in utilitatem, aut neceſſitatem Eccleſiæ contraxerit, *per cap. 1. X. de ſolution. ibi:* pro Eccleſiæ neceſſitate contracta. Tuſch. *in pactis Concluſ. lit. S. num. 879.* Carpzov. *in jurisprud. forenſ. part. 2. Conſtit. 20. definit. 21. in fin.* Gylman. *lib. 2. deciſ. 51. n. 22. & 27.* Aut ſi quidpiam ratione dignitatis & officii, en qualité d' Abbé, uti Galli loquuntur, in qualitate Abbatis egerit vel promiſerit: Verb. gr. ſi Epiſcopus alicui in remunerationem meritorum vel ſervitiorum Eccleſiæ, aut dignitati exhibitorum quicquam dederit; Succeſſor in Epiſcopatu, aut Prælatura promiſſionem Anteceſſoris adimplere, aut data ſervare, obligatur. *per Can. illud. cauſ. 16. quæſt. 6. Can. Quicunque 66. cauſ. 1. quæſt. 2. cap. per tuas. X. de donat.* Ita in terminis Archiepiſcopi Imperii tradit Nicol. Reusner. *lib. 3. conſ. 22. n. 47. & ſeqq.* Adrian. Gylmann. in terminis Prælati ſcribit. *dict. deciſ. 51. num 38. & paſſim.* In terminis Ordinis Teutonici, Conſil. Argentor. *24. num. 25. & ſeqq. vol. 2.* Modeſt. Piſtor. *conſil. 36. vol. 1. per tot.* Ludov. Bolognin. *conſil. 6.* Petrus Surd. *conſil. 245. n. 40.* Louet. *in Syllog. arreſt. lit. S.*

arreſt. 11. Dn. Tabor. *de obligat. ſucceſſ. cap. 6. n. 4.* Ulterius Canoniſtæ tradunt, quod Epiſcopus debeat adimplere mandatum factum Anteceſſori, ſub nomine Dignitatis. *per cap. quoniam. ubi Abb. & Felin. X. de Officio deleg.* Præterea inferunt, quod literæ directæ Epiſcopo Prædeceſſori mortuo ſub nomine dignitatis, & habito reſpectu ad officium, Succeſſor illas teneatur executioni mandare aut adimplere. Flores de Mena. *quæſt. part. 4. num. fin.* Quo facit §. *Ex hoc vero. Auth. ut nulli judicum.* Redoan. *de reb. Eccleſ. quæſt. 57. num. 9.* latè Salgado *de Somoza tr. de Regia protection. part. 1. cap. 3. n. 88. & ſeqq.*

CAPUT XI.

De Pace tàm religionis quàm Politica à Principe concluſa, & à Principe Succeſſore ſanctè ſervanda.

SUMMARIA.

I. *Aſſeritur: 1. Principem Succeſſorem teneri ſervare pacem ab Anteceſſore initam, etiam ex neceſſitate publica.*

II. *2. Imperatorem teneri Paci Religionis inviolabiliter cuſtodire.*

I. EX quibus jam deductis infertur, *Primò*, quod ſi Princeps Imperii *fœdera pangat, aut Pacem ineat,* Succeſſor quoque iisdem pactis teneatur, & obligetur. Fœdus namque aut Pax eſt Conventio publica, id eſt, ad Statum Reipublicæ pertinens. pr. l. conventionum. D. de Pactis. Quam idcirco Princeps non tàm proprio, quàm Reipublicæ ſeu dignitatis nomine, quæ perpetua eſt, contraxiſſe cenſetur. Sicuti ergo Prælato ratione dignitatis contrahente, Eccleſia ipſa, omnesque in eadem dignitate ſuccedentes obligantur, per cap. edoceri

ceri, ubi Auguſt. Barboſ. X. de reſcript. Ita quoq; Principatus vel Reſpublica, Principe contrahente, quin etiam ipſa Gens, cujus nomine conventum eſt, quaſi ipſamet contraxiſſet, ad pacta fœderis vel pacis obſervanda aſtringitur. Ita Panormit. Felin. & alii *ad cap. 1. X. de probat.* Alber. Gentil. *de jur. bell. lib. 3. cap. 22. fol. 677. & 685.* Corſet. *de privileg. pacis num. 13.* Balthaſ. Ayala, *de bello, lib. 1. cap. 7.* Petr. Gudelin. *de pace. cap. 12. fol. 63.* Cardin. Mantica, *de tacit. Convent. lib. 27. cap. 5. num. 1.* Quod doctè & diſtinctè in Pactione Fœderis deducit Hugo Grot. *de jure belli. lib. 2. cap. 14. num. 12.* Franc. Zypæus *in Hiatu contra Caſsan. lib. 2. cap. 12. per tot.* Idq; optimè poſt Gudelinum, deducit quoque Beſold. *de pace. cap. 4. n. 4.* aſſentit Matth. Cuno. *tr. de pactis. libr. 1. cap. 22. num. 68.* In hac tamen quæſtione cavendum eſt, & quidem meritò ab opinione *Vincentii Caboſii*, qui contrarium ſtatuit *in disput. jur. public. libr. 2. cap. 24.* Et ante eum *ab Alciat. lib. 4. conſ. 4.* Quod adeo quidem verum obtinet, ut Pax inita *ex neceſſitate, ſcil. vi bellica aut metu armorum*, nihilominus Succeſſorem ad obſervantiã aſtringat. Quoniam Juriſconſultus aut prætor ait: Id quod metus cauſa factum eſt, tum demum ratum non haberi, quando vis eſt, quæ in hominem conſtantiſſimum cadere potuerit. *in l. 3. & ſeq. D. quod met. cauſ. l. metum. C. cod. tit.* Viro autem forti *(inquit Cicero:)* vis adhiberi nequit, Petr. Gudelin. latè hoc comprobat *tr. de pace cap. 11. per tot. præcipuè fol. m. 61.* Hugo Grot. *de jur. belli. lib. 3. cap. 13. num. 4.* Græf. *de regalib. cap. 56. num. 9.* benè Leonh. Leſſ. *de juſtit. & jur. lib. 2. cap. 17. Dubit. 6. num. 43.* Et hoc ulterius verum eſſe aſſeritur, ut Fœderis pactum, aut concluſa Pax interveniendibus armis aut vi bellica ab Anteceſſore, *Principem Succeſſorem etiam invitum* obliget;

Etiamſi *pars Provinciæ* ab Anteceſſore pacis amore Adverſario Principi ceſſa fuiſſet. Ubicunque enim utiliter negotium à Principe geſtum eſt, qualescunque Reges aut Principes tenentur, ejusdemque Succeſſor ad Obſervationem adſtringitur. Quoniam talis Contractus morte Contrahentis non extinguitur, ſed in ſeram redundat poſteritatem. *per cap. ſi gratiosè. X. de reſcript. in 6.* Heig. *quæſt. illuſtr. 19. num. 16.* latè Reinking. *lib. 1. claſſ. 3. cap. 10. num. 25.* Mantica *de tacit. Convent. lib. 27. tit. 3. n. 1.* Aſt tum demum utiliter Pax aut pactio facta eſſe cenſetur, cùm Provinciæ alicujus partis alienatio in rem ipſius Principatûs vergit, ad propitiandum Numen, publicamque tranquillitatem, ad conſervationem Status, Regis Regniq; pertinet, quâ Regni aut Principatus ruina præcauta fuit. *arg. cap. licet. X. de voto. cap. 1. X. de probat.* De quo præclarè Franc. Zypæus *d. lib. 2. cap. 15. per tot.*

II. Secundò infertur ex ſupra traditis, quod Imperator tanquam Succeſſor Imperatoriæ Majeſtatis *Pacem Religionis* inviolabiliter cuſtodire teneatur; utpote quæ publicæ utilitatis & tranquillitatis cauſa ſancita eſt; ac ſub nomine Dignitatis promiſſa & concluſa fuit. Præterquam quod ad id per Capitulationē juratām aſtringatur. Petr. Syring. *de Pace Religion. concluſ. 19. lit. B.* Henr. Andr. *Cran. de Pace Religion. part. 2. problem. 3.* Quod adeò quidem verum eſt, ut Imperator ſuccedens in Imperiali Dignitate ne quidem ſub prætextu aut allegatione abſolutæ poteſtatis Pacis religioſæ articulum unum vel alterum declarare, multò minus approbare poſſit, vetantibus id Imperii Romani Conſtitutionibus, ſecundùm Receſſ. Imperii de Anno 1555. § Und ſoll alles, ibi: kein Declaration. Quod poſtmodum per Cæſaream Capitula-

pitulationem juramento firmandum eſſe Proceres Imperii neceſſarium cenſuerunt. de quo extat in Capitul. Imperat. Ferdinand. III. *art. 40. & 41.* Vide Gylmann. *tom. 1. part. 1. Symphor. tit. 3. not. 6. num. 13.* Paurmeiſter *de juriſdict. lib. 2. cap. 2. num. 95.* Roman. Arumæ. *cap. 8. n. 12. & 13.* Dn. Limnæ. *lib. 9. jur. publ. cap. 1. num. 182.* Rûmelin. *ad Aur. Bull. part. 3. diſſert. 1. Corollar. 2.* Ubi ego latius hoc comprobavi. Licet diſſentiat Anton. Diana *in Reſol. moral.* Ubi me quidem pro diſſentiente allegat, argumentis tamen minimè reſpondit. Huic aſſertioni diſtinctionis Collyrium adferre annititur Dn. & Am. Lindenſpûr. *in Præfat. ad Pac. Relig.* Cui tamen jam diu reſpondit Gylman. in *allegat. vot. 3. ſub num. 13.*

CAPUT XII.

De Contractu à Principe Imperii inito, & à Principe Succeſſore omninò obſervando. Ubi de Feudi Conceſſione & Locatione prædiorum.

SUMMARIA.

I. Ex dictis infertur: 3. Principem Imperii quemvis aliũ Contractum Anteceſſoris obſervare teneri; idque probatur.

II. 4. Principem Imperii non poſſe Anteceſſoris ſui Feuda revocare.

III. 5. Neque Epiſcopum vel Prælatum Anteceſſoris ſui Locationem aut Conductionem, vel quamlibet aliam tranſlationem Iurium revocare poſſe.

I. TErtio infertur, quod Princeps, Marchio aut Comes Imperii ex quolibet *alio Contractu, Tranſactione aut pacto* Anteceſſoris ſui quoque obligetur, eumque inviolabiliter obſervare teneatur, *per cap. 1.* ubi Felinus *& Canon. X. de probat,* Gabriel Roman, *libr. 3. tit. de jur.*

quaſit.

quæſit. concluſ. 5. num. 2. Schurff. *conſil. 72. num. 8. cent. 2.* Rauchbar. *lib. 2. quæſt. 11. num. 5.* Matth. Cuno *de Pactis. cap. 24. num. 42.* Ubi plures allegat. Menoch. *conſil. 1. num. 228.* Card. Paris. *conſil. 82. num. 48. & 49. vol. 1.* Nevizan *conſil. 12. n. 30. inter Conſil. Bruni,* Conſil. Argent. *30. num. 46. & 47. vol. 1.* Quoniam in Contractibus, qui nomine Dignitatis initi fuerunt Princeps Succeſſor non majorem habet Poteſtatem, quam Anteceſſor, *argum. l. ſi pater. D. ad Municipal. l. Lucius. D. quod vi aut clam.* Siquidem eadem dignitas in Principe Succeſſore remanet, nec, quæ in Anteceſſore reſidebat, cum eo interit *per cap. gratioſè X. de reſcript. §. illud. in fin. Auth. quæ de dignitate.* Bald. *Conſil. 159. num. 4. lib. 3.* Tiraquell. *de jure primogen. quæſt. 35. num. 20.* Nullus autem Princeps contra contractum bona fide initum contravenire debet, ſecundùm Zaſium in *l. Princeps. num. 4. D. de legib.* Andr. Gail. *lib. 2. obſervat. 55. n 2.* Rauchbar. *dict. quæſt. 11. n. 96.* Cum juxta *Symmachum*: Vox juris & legum ſit, bonæ fidei contractum non poſſe reſcindi, Symmach. *libr. 2. Epiſtol. 87. in pr.* Etiamſi Princeps plenitudine poteſtatis uti velit; Non poterit tamen Contractum bonæ fidei initum reſcindere: Nam plenitudo Poteſtatis nihil operatur contra ea, quæ ſunt juris Gentium; quo jure Contractus bonæ fidei ſunt introducti; Nec ea ſua poteſtate abſoluta tollere aut infirmare poteſt, cum potentius ſit jus Gentium, quàm Principatus, ſicuti ſcribit Bald. *in cap. 1. §. fin. num. 2. qui feud. dare.* Idem *Baldus* pulcherrimè de Contractibus à Principibus Succeſſoribus hiſce formalibus ſcribit: Primò enim inquit, quæri conſvevit de Contractibus: An Contractus Regis aut Principis obligare Rempublicam vel fiſcum poſſit? Reſpondeo, cum Reſpublica & fiſcus ſint quid

æter-

æternum & perpetuum, quantum ad eſſentiam: licet diſpoſitiones ſæpe mutentur, Fiſcus enim non moritur, prout notatur *in l. un. §. fin. D. ſi quis jus dic. non obtemp.* Ac quod Imperator poſſit obligare ſucceſſorem per indirectum, ſcilicet obligando Fiſcum, qui Fiſcus idem eſt cum ſucceſſore, tenet Cynus *in l. digna vox. C. de leg.* Hæc latiùs Bald. *in conſ. 271. num. 2. 3. & 4. libr. 1.* Zaſius *conſ. 10. num. 6.* Menoch. *conſil. 1. num. 228. ac conſil. 103. n. 69. ut & conſil. 298. n. 20.* Quod latè deducit Ludovic. Rodolfin. *tr. de abſolut. poteſt. cap. 6. n. 20. & 72.* ſed latius *ſub num. 95.* Arniſæ. *de jur. Majeſt. cap. 7. n. 9.* Qui ſub *n. 10.* diſtinctionem adfert. Riminaldus junior de Duce Mantuæ reſpondens *in conſil. 63. n. 32.* Cacheran. in terminis transactionis hoc pro & contra diſputat *deciſ. 139 per tot.* Ludolph. Schrader. *conſ. 10. num. 14. ac conſil. 25. per tot.* Caſpar. Klock. *de Contribut. cap. 8. n. 79.* Auguſt. Barboſa *ad cap. 1. num. 7.* Ubi infinitos Authores allegat *X. de probat.*

CAPUT XIII.

De Privilegiis à Principe Imperii conceſſis, & à Principe Succeſſore cuſtodiendis. Quatenus procedat; Ubi de Donatione.

SUMMARIA.

I. Ex antecedentibus infertur: 4. Principem Imperii non poſſe abrogare Privilegium ab Anteceſſore conceſſum; idq; probatur.

II. Aſſeritur: id à fortiori procedere in Privilegio conventionali.

III. Q. An Privilegium merè gratioſum à Succeſſore revocari poſſit? N. ob aliquot rationes.

IV. Q. An Succeſſor Principis poſſit Conceſſiones ſuper delatione Inſignium factas revocare? N.

V. 7 Infertur: idem procedere in qualibet alia donatione; idque probatur, & extenditur ad donationes etiam ſubditis conceſſas.

II. Q*Vartò* infertur ex ſupra dictis, quod Princeps aut Comes Imperii, non poſſit ne quidem ex plenitudine poteſtatis, Anteceſſoris ſui Feuda revocare, aut primævæ Inveſtituræ contravenire, nec Vaſallum feudo ab Anteceſſore conceſſo, privare. Jul. Clar. §. *feudũ. quæſt. 59.* latè Marc. Ant. Peregrin. *de fidecommiſſ. act. 52. num. 131.* Burſat. *conſ. 127.* Et hoc latiſſimè deducit Rodolfin. de Sabloneta *tract. de abſolut. poteſtat. Princip. cap. 6. num. 188. & ſeqq.* Sixtin. *conſil. Marpurg. 9. n. 85. & ſeqq. vol. 1.* Ita in terminis Epiſcopi Imperii conſuluit Nic. Reusner. *conſil. 22. num. 41. & ſeqq. lib. 3.* Reinking. *1. claſſ. 3. cap. 10. num. 43.* ubi plures allegat. Nam Princeps Feudum ſibi apertum alteri infeudando actum gerit ad Ducatus aut Comitatus adminiſtrationem, ſive ad officiũ Principis aut Comitis pertinentem *per cap. 1. ſi controv. inter Vaſall. & al. de benef.* Hartm. Piſtor. *lib. 2. quæſt. feud. 44. num. 6.* Quoniam juxta *Baldum* de natura & officio Principis eſt infeudare. Bald. *in l. 1. lect. 1. D. de conſtit. Princip.* Conſtat autem, & clarum eſt, quod in his quæ ad officium & adminiſtrationem Principis aut Comitis Anteceſſoris pertinuerunt, ſucceſſorem quoque teneri ejusdem factum ratum habere, ſecundùm Bald. *in l. 1. num. 3.* ubi Jaſon. *num. 14. D. de conſtit. Princ.* Albert. Brun. *conſ. 1.* Anton. Gabriel *Comm. concl. libr. 3. tit. de jur. quæſit. concluſ. 5. num. 3.* Curt. *de feud. part. 2. membr. 2. num. 8.* Intrigliol. *de feud quæſt. 18. num. 25.* Roſenthal. *de feud. cap. 9. concluſ. 48. num. 13.* Andr. Khol. *de ſubfeud. cap. 5. n. 62.*

III. Quintò infertur ex ſuperius deductis, quod Epiſcopus-

ſcopus aut Prælatus Imperii teneatur ſtare *Locationi aut Conductioni* ſui Anteceſſoris, modò illa facta ſit nomine Eccleſiæ, & ratione officii ſibi commiſſi; quam Succeſſor ratam habere tenetur. Quoniam Eccleſia nunquam moritur, ſicuti hoc animadvertit Socin. *conſil. 32. num. 9.* Alvar. Valaſc. *deciſ. 40. per tot.* Joh. Petr. Surd. *deciſ. 316. num. 6. & 7.* Cavalcan. *part. 1. deciſ. 44.* ubi præjudicia varia allegat Franc. Marc. *deciſ. 196. num. 4.* Modeſt. Piſt. *conſ. 63. num. 14. lib. 1.* Tamburin. *de jure Abbat. tom. 3. diſp. 14. quæſt. 30.* Johan. Aloyſ. Ricc. *in prax. for. Eccleſiaſt. deciſ. 112.* Quod per rationes pro & contra annexis diſtinctionibus latè examinat Abb. Panormitan. *in quæſt. ſubtiliſſ. quæſt. 3. Dub. 5. per tot.* Sicuti in ſimili Canoniſtæ tradunt, quod Abbas Succeſſor teneatur indiſtinctè ad ſolutionem *penſionis* decurſæ non ſolutæ per Prædeceſſorem. Hieron. Gigas. *tract. de Penſionibus quæſt. 39. num. 10.* Rota Roman. apud Staſil. Pacific. *de Salviano interdict. deciſ. 221. n. 3. Hercul.* Mareſcot. *1. var. Reſol. 18. num. 5.* Quamvis diſſentiat Cardin. Puteus *deciſ. 18. libr. 1. ac deciſ. 421.* Franc. Marc. *deciſ. 102.* Rota Roman. *apud Pacific. de Salvian. interdict. deciſ. 210. num. 6.* Idem quoque dicendum eſt in qualibet alia tranſlatione jurium neceſſaria, quæ fit à Prælato habente plenum jus in re, juxta notata per Cacheran. *deciſ. 82. n. 6.* Unde dicimus, quod redimens rem vigore pacti, de retrovendendo, teneatur ſtare locationi factæ, per eum, à quo rem reluit, ſicuti hoc planè probat Roland. à Valle *conſil. 49. vol. 2.* & relati à Don. Garſ. Maſtrill. *deciſ. 5. num. 13.* Philip. Paſchal. *de virib. patriæ poteſtatis. part. 4. cap. 6. n. 31.* Quo tamen Contractus Prælati plena firmitate gaudeat, quatuor requiſita neceſſaria exigit. Ricc. *dict deciſ. 112. ſub num. 2.* Cum ſuis limitationibus. Ita in terminis nempe quod Suc-

ceſſoris Equitis Melitenſis locationi præbendæ Anteceſſoris ſtare teneatur, ſi nomine dignitatis locatio celebrata fuit, tradit Franc. Stephani *deciſ. Aquenſ. 40. n. 4.* Ac quod Succeſſor in beneficio pro reliquis Decimarū & portionis congruæ, quæ Anteceſſor debebat, poſſit convenire, ſimiliter deciſum fuit *in ſuprema Aquenſi Curia* apud prædictum Stephanum *deciſ. Aquenſ. 42. per tot.*

IV. Sextò infertur ex ſupra allegatis, quod Elector, Princeps aut Comes Imperii non poſſit *Privilegium* ab Anteceſſore vel mediante pecunia, vel ex cauſa meritorum conceſſum, aut in totum abrogare, aut ex parte quidpiam derogare. Cynus, Baldus, Caſtrenſis, & DD. *in l. digna vox C. de legib.* Ruinas. *conſ. 69. num. 23. libr. 3.* Burſat. *conſ. 16. num. 47.* latè Baro Enenckel in terminis privilegii. *tr. de privil. libr. 3. cap. 11. num. 44. & ſeqq.* Et hoc in Succeſſore Summi Pontificis Romani aſſerit Jaſon. *conſil. 86. lib. 3.* Franc. Niger. Cyriac. *controv. forenſ. 204. num. 95.* Idem in Succeſſore Imperatoris reſpondit Cravetta *conſ. 241. num. 17.* in Succeſſore Regis hoc deducit Petr. Paul. Pariſ. Card. *conſ. 2. n. 132. lib. 4.* In Succeſſore Ducis hoc comprobat Socin. jun. *conſil. 60. n. 18. libr. 3.* In Succeſſore Marchionis, Marc. Anton. Natta. *conſ. 636. num. 13. lib. 3.* Idem denique in Succeſſore Comitis reſpondit Boer. *deciſ. 204. n. 42.* Quod latius examinant & aſtruunt Menoch. *conſil. 1. n. 227.* & alii, quos allegat Carol. Tapia *de conſtit. Princip. part. 2. cap. 9. num. 11. & ſeqq.* Quorum omnium hæc ratio valdè perſpicua & gravis; quoniam omnia Privilegia quocunq; modo (modò debitè & competenter collata ſint) ratione Imperii & Jurisdictionis territorialis, adeoq; ſub

ſide

fide publica & dignitatis conferuntur, Herman. Vult. *conſ. 35. vol. 3.* Tileman. de Benign. *lib. 2. Syntagm. decad. 2. not. 6.* Reinking poſt allegatos, *lib. 2. claſſ. 2. cap. 8. n. 25.* Caſpar. Klock. *de contribut. cap. 4. n. 246.* Quod etiam ex Romanorum legibus, & Imperatorum conſtitutionibus evincitur. vide text. *in l. mortuo. 60. D. de judic. l. fin. C. de re judicat. l. fin. ibi,* jure igitur perpetuo, *C. de loc. prædior. civil. lib. 11.* Baro Enenckel. *dict. tract. lib. 1. cap. 4. n. 2.* Quod ipſa privilegiorum natura docet, ſunt enim Leges privatæ & ſpeciales, cujus enim eſt leges ferre, Magiſtratum creare, ejusdem quoque eſt Beneficia diſtribuere, Dignitatum Ordines legibus definire & dignis dispartiri. *l. fin. C. de legibus. l. 1 D. de Conſtitut. Princip.* Nobis enim jubentibus (*inquit Imperator Juſtinianus*) dignitas ſuſtinetur. *in l. fin. C. de Conſul. ac in l. nemini. 3. ibi:* quando hoc noſtræ ſederit Majeſtati patriciam conſequi dignitatem. *Et paulo poſt, ibi:* Qui honorarii Conſulatus inſignibus, Principali munificentia decorantur. *de Conſul. & non ſparg. ab his pecun.* Jacob. Van der Graef. *tr. de regalib. cap. 15. num. 11.* Theod. Hoppinck. *tr. de jur. inſign. cap. 8. n. 20. & ſeqq.* Ea verò quæ ſub nomine Dignitatis conferuntur, perpetuo durare debent. *per cap. ſi gratiosè. de reſcript. in 6.* Nam licet ProConſules mutentur, unus tamen eſt Proconſulatus, ſicubi ait JCtus *in l. meminiſſe. 10. D. de Offic. Proconſul.* Ac licet Officiales mutentur, unum tamen eſt officium, prout *Bartolus* ibidem notat. Bald. *de nov. Cod. componen. gloſſ. 4.* Quod Baro Enenckel *tr. de Privileg. libr. 3. cap. 11. num. 44. & ſeqq.* latius comprobat.

II. Et hoc multo magis dicendum eſt in privilegio *propter bene merita*, aut *mediante pecunia* acquiſito & con-

ceſſo, quod non gratioſum, ſed magis conventionale Privilegium exiſtit, ac ex jure Gentium ſuam firmitatem habere debet. Nam tale Privilegium propriè gratuitum non eſt, nec pura Donatio, ſed potius quædam permutatio & retributio præſtiti officii cenſetur, quod titulo oneroſo acquiſitum eſt. *per text. in l. Aquilius. 27. ibi* Officium Magiſtri quadam mercede remuneratum. *D. de donat. l. ſed etſi lege 25. §. conſuluit. 11. D. de petit. Hered.* Menoch. *conſ. 307. num. 4. & ſeqq.* Eques Rogger. *conſ. 15. num. 28. & 29. vol. 1.* Gylman. *de la Motta ad Lud. Molinam. lib. 1. cap. 3. n. 2. & ſeqq.* ubi contrariis reſpondet; Quod in terminis noſtris latè deducit Nicol. Reusner. *libr. 3. conſ. 22, n. 45. & ſeqq.* Ubi latius deducit, quando præſumendum ſit Donationem aut infeudationẽ propter bene merita factam fuiſſe. Unde bene ad propoſitum caſum ſcribit *Dn. Tabor*, Conceſſio beneficii quæ à principe proceſſit ex cauſa promeriti, à Succeſſore revocari nequit. *per cap. 12. verſ. licet autem.* ibi: juxta ſervitii meritum *X. de teſtament.* Cum autem cauſam juſtam qua ſuſtineatur habeat. *per l. 3. & 4. C. de revocand. donat.* Ac propriè donationem non ſapiant. *per l. 1. D. de donat.* Jmò æquum ſit, officia exhibentibus beneficia referri. *cap. ult. de reſcript. 6.* Dn. Tabor. *de obligat. ſucceſſ. cap. 5. n. 17.* Anton. Perez. *in Cod. tit. de revocand. Donat. num. 23.*

Q. III. Aſt majus dubium habet hæc quæſtio. *An Princeps Imperii Privilegium, merè gratioſum, aut Donationem vel aliud beneficium ab Anteceſſore collatum, pro lubitu revocare poſſit?* quod negamus. Ita enim reſcribit Summus Pontifex *in Can. juſtit. cauſ. 15. quæſt. 1.* Quod juſtitiæ & rationis ordo ſuadeat, ut qui ſua à Succeſſoribus deſiderant mandata ſervari, Deceſſoris ſui procul dubio voluntatem

tem & Statuta cuſtodiat. Per privilegium enim & donationem perfectam&integram jus accipienti jam quæſitum eſt. *per cap. quoniam. de conceſſ. prabend. in 6.* Quod ei abſque gravi cauſa, ne quidem à Principe Succeſſora aufferri poteſt. Cum firmitas hujus conceſſionis jure gentium ſe tueatur. Felin. *in cap. quæ in Eccleſiam. de Conſtit. num. 51.* Alexander. *conſil. 3. n. 6. lib. 5.* Lud. Molina *de Hiſpan. Primogen. lib. 4. cap. 3. num. 20. & 21.* Siquidem Privilegia etiam Gratioſa ratione Jurisdictionis territorialis conferuntur. Imperium autem & Jurisdictio perpetua ſunt nec morti ſubjiciuntur, *per cap. ſi gratioſè. X. de reſcript. in 6.* ubi Greg. Tholoſ. Proinde talia omnia horum nomine atque authoritate geſta, firma eſſe debent. Cephal. *conſil. 549. num. 95.* Card. Ruin. *conſ. 90. num. 5. vol. 1.* Ludov. Rudolfin. *de abſol. poteſt. Princip. cap. 6. num. 194.* Dn. Tabor. *dict. cap. 5. num. 17.* Arniſæ. *de jur. Majeſtat. libr. 1. cap. 7.* Quod latè perſequitur Baro Enenckel *de Privileg. lib. 2. cap. 2. per tot.* Authoritates & fallentias vide apud Auguſt. Barboſ. *ad dict. cap. ſi gratioſè. X. de reſcript. Ac in cap. 1. num. 8. X. de probat.* Ubi infinitos authores allegat. Diſſentientium rationes, vide apud Petr. Beck. in cap. decet. *num. 1. de Reg. jur. in 6.* Limitationes vide apud Tapiam. *in l. fin. part. 2. cap. 3. num. 33. & ſeqq.*

IV. Huic ſuccedit & hoc dubium; Veruntamen ex ſupra dictis rationibus Inſignium revocationi locus non erit, eo quod Principum Privilegiis magis juvari, quam decipi nos oporteat, deceatq; ut illa ſint permanentia, ſicuti in terminis tradit Bartol. Chaſſanæ *in Catalog. glor. mund. part. 1. conſid. 38. concluſ. 44. n. 40.* Ideo cum ArchiDuces Auſtriæ ex ſingulari privilegio Cæſa-

rum

rum, Jus & facultatem habeant, concedendi Inſignia nobilitatis, ea ſemel data & conceſſa abſq; diminutione reputationis Principalis revocare nequeunt. Quamvis hanc revocationem quoad ſubditos locum habere cenſeat idem Chaſſanæ. ad *conſuet. Burgund. tit. des Iuſtices art. 5. gloſſ. S'il n'y a grace verſ. ulterius quaro.* Quem ſequitur Theodor. Hoppingk. *tract. de jur. inſign. cap. 8. §. 1. memb. 5. num. 106.*

V. *Septimò* infertur idem juris eſſe in qualibet *Donatione*, quæ cum ſemel effectum ſortita eſt, à Principe Succeſſore inviolabiliter cuſtodienda eſt, nec temerè revocari poteſt. *per cap. 1. X. de donat. cap. ſi ſuper gratia X. de Officio delegat.* Quoniam Beneficium à Principe conceſſum, decet eſſe manſurum, *per cap. decet. 16. de regul. jur. in 6.* ubi Canoniſtæ communiter, præſertim *Petrus Peck.* Nec Imperialis Majeſtatis proprium eſt, conceſſa auferre. Auth. *de referend. Palat.* latè Baro Enenckel *de Privileg. lib. 3. cap. 2. num. 25. & ſeqq* Matth. Coler. *conſ. 30. num. 37.* Præſertim tum primò quod Donationes à Principe collatæ, dignitatis intuitu factæ eſſe cenſeantur. Siquidem Regali Majeſtate maximè dignum eſt, eive convenit, liberalitatem exercere, per textum (*ſecundùm Roggerium*) mirabilem *in l. filius. verſ.* nonnunquam. D. de donat. Proprium namque Regum eſt donare, ſicuti inquit Oldrad. *conſ. 94.* Ac ſecundum Tullium nihil magis Principem decet quam opes & divitiæ ad benignitatem conferendam. *Cic. epiſtol. 8.* Tiraquell. *de nobilitat. cap. 37. num. 40.* Carol. Topia *de conſtitut. Princip. in Rubr. cap. 4. num. 1.* Rogger. *conſ. 15. num. 28. & 29. vol. 1.* Pitſillius *tr. de inſtruend. Princ. fol. m. 161.* poſt alios Reinking. *lib. 1. claſſ. 3. cap. 10. n. 45.* Tum quo plenior illuſtrium virorum libera-

liberalitas annexa Succeſſorum obligatione reddatur, *per dict. cap. 1. X. de donat.* Ludov. Molina *de jure Primogen. libr. 1. cap. 3. num. 20.* Unde infertur Principum conceſſiones gratioſas, per eorundem mortem, non expirare re adhuc integra. *per cap. ſi cui nulla. 36. de prabend.* Boer. *deciſ. 346.* Covarr. *pract. quaeſt. cap. 11. num 2.* Caldas. Periera. *tract. de jure emphiteut. cap. 15. num. 36.* Ita in terminis Bald. *conſ. 271. & 359. vol. 1.* Capicius *deciſ. 121. n. 4.* Aym. Cravetta *conſ. 404. ubi ſub num. 11. tradit:* Cogi Principis Succeſſorem ratam defuncti donationem habere, licet rem inſolitam aggreſſus ſit Princeps Donator. Quod extenditur verum eſſe, in Privilegio aut Donatione etiam Subditis conceſſa, quæ omnia Succeſſorem quoque in Principatu obligant. Quoniam novus Princeps debet relinquere ſubditos ſuos in eodem ſtatu & uſu Privilegiorum in quo eos invenit, ſecundùm Joan. de Platea *in l. nemine. C. de Decurion. lib. 10.* Præcipue cum ea lege à ſubditis receptus ſit, ac in primordio regiminis ante homagii præſtationem promittere ſoleant, quod ſubditos ſuos privilegiis quietè gaudere velint. Henning. Gœdden. *conſ. 32. n. 7.* Petrus Peck. *ad dict. cap. decet. num. 2. de Reg. jur. in 6.* Et hoc in terminis remiſſionis cenſus annui, quem Marchio Salmiarum *Franciſcus*, Civitati ſuæ Salutiarum remiſit, reſpondit Cravetta *dict. conſ. 404. quaeſt. 2. num. 11.* ac cum eo Mandell. *de Alba conſ. 67. per tot.* Diſſentit aliquatenus Arniſ. *de jur. Majeſt. lib. 1. cap. 7. num. 7.* Has tamen Donationes, quæ in præjudicium Principatus vergant, tanquam illicitas de jure revocari poſſe, aſſerit Neguzant apud Alber. Brun. *conſil. 12. num. 53.* Gilmon. de la Motta *in addit. ad Molinam. de Hiſpan. Primogen. lib. 1. cap. 3 num. 18.* De qua limitatione infra *cap. 16.* videbimus. Quando autem

enormis læſio in donatione Principis accipiatur. vid. apud Cravettam, *dict. conſ. 404. num. 12.* Henning. Arniſ. *dict. tract. cap. 7. num. 8.*

CAPUT XIV.

De Debitis à Principe aut Comite Imperii contractis, & à Principe Succeſſore agnoſcendis, quatenus verum obtineat. Ubi anima lverſio inter Principem Eccleſiaſticum & Secularem.

SUMMARIA.

I. 8. Infertur ex antecedentib. quod Princeps Imperii Debita ab Anteceſſore contracta ſolvere obligetur. Dividuntur Principes in Eccleſiaſticos & Seculares, & oſtenditur, teneri Principem Eccleſiaſticum debita Anteceſſoris ſolvere, ſi pecunia in commodũ Principatus vel Eccleſiæ verſa ſit.

II. Oſtenditur, Prælatum Succeſſorem teneri ſolvere pecuniã pro ſuſtentatione ab Anteceſſore ſusceptam; idem valere, ſi Anteceſſor pecuniam mutuò acceperit nomine adminiſtratorio.

III. Oſtenditur, Principem Secularem teneri ad ſolvendũ æs alienũ ab Anteceſſore propter Dignitatem contractũ.

IV. Oſtenditur: Principem Secularem teneri ad ſolvendũ æs alienũ ab Anteceſſore etiã inutiliter, vel ex alia cauſa conflatum:

V. Oſtenditur, Vaſallum, qui Defuncti hæres non eſt, teneri ad ſolvendum æs alienum, propter Dignitatem feudi regalis & titulati contractum.

VI. Oſtenditur, Vaſallum Succeſſorem teneri ad ſolvendũ æs alienum propter Feudi meliorationem acceptum; idque multò magis procedere in Filio Succeſſore.

VII. Additur, id intelligendum eſſe de Feudo hæreditario, nõ antiquo, familiæ & titulato ex pacto & providentia.

VIII. Additur cautela de bonis feudalibus & allodialibus.

IX. Additur obſervatio quædã, non adeò ſcil. expeditum eſſe, quod Succeſſor in Feudo ex pacto & providentia ad æris alieni ſolutionem non teneatur.

I. OCtavo infertur ex ſupra deductis, quod Princeps Imperii *Debita* ab Anteceſſore contracta ſolvere obligetur, & ad id teneatur. Attamen cum iſte articulus variis Doctorũ diſtinctionibus circumvolutus ſit; Ideo brevitati ſtudendo, ante omnia benevolum lectorem remitto ad Ludolphi Schraderi *conſil. 10. 11. & 25.* Caſp. Klock. *de contribut. cap. 8. num. 51. & ſeqq.* Conſil. Argent. *30. num. 44. & ſeqq. vol. 1.* ac *conſil. 2. n. 89. vol. 2.* Dn. Tabor. *tract. de obligat. ſucceſſ. cap. 5, & 6. per tot.* Theodorus Hoppinck. *in reſponſ. jur. conſil. 2. quæſt. 2. per tot. fol. m. 131.* Hæc pauca tamen reſolutivè ſubjiciam: Principes in Imperio Romano Germanico ſunt vel Eccleſiaſtici, qui per Electionem ad Epiſcopatum aut Abbatiam accedunt, vel Seculares, qui jure ſucceſſionis Ducatum adipiſcuntur. Princeps Imperii Eccleſiaſticus veluti ArchiEpiſcopus, Epiſcopus aut Abbas ad Debita ab Anteceſſore contracta tenetur, ſi pecunia in commodum, utilitatem, & emolumentum ipſius Principatus vel Eccleſiæ mutuo ſumpta & verſa ſit, *per can. illud. cauſ. 16. quæſt. 6. Can. liberti. 65. in fin. cauſ. 13. quæſt. 2. cap. per tuos. 5. X. de donat.* Menoch. *in Arbitrar. cent. 2. caſ. 432.* Ioh. Petr. Surd. *conſ. 181. num. 11.* Adrian. Gylman. *lib. 2. deciſ. Camer. 51. n. 28.* Idem Surd. *conſ. 333. n. 33.* ubi ait: Sufficere, quod conſtet, debitum eſſe contractum pro utilitate Eccleſiæ, etiamſi non probetur, in rem Eccleſiæ verſum eſſe. Idem dicendum eſt in Debito ab Epiſcopo vel Prælato contracto. *X. de ſolut.* Tuſch. *Pract. concluſ. lit. S. concl. 879.* Carpzov. *part. 2. conſtit. 20. defin. 21. in fin.* Tabor *de oblig. ſucceſſ.*

Digitized by Google

cap. 6. num. 4. Quoniam publica neceſſitas utilitati publicæ comparatur, Sebaſt. Medic. *de caſib. fort. lib. 1. quæſt. 6. num. 8.* Nam ſi aliter diceremus, Principatus vel Eccleſia cum alterius damno locupletaretur, quod naturali æquitati contrarium eſſet, ſecundum Pompon. *in l. nam hoc 14. D. de condict. indebit.* Quo caſu alienationem rei Eccleſiaſticæ, vel debiti contractum valere, etiamſi nulla Superioris (id eſt Pontificis ſummi) interveniat authoritas, nullave intercedat ſolennitas. Quod multis cumulatis authoribus firmat Ant. Gabriel. *lib. 3. Com. concluſ. tit. de rer. alienat. concluſ. 1. num. 1.* Johan. Petr. Surd. *conſil. 245. num. 40.* quamvis declarationem addat. Conſil. Argentor. *24. num. 25. & 30. vol. 2.*

Unde rectè infertur, quod Epiſcopus ſucceſſor ad ſolutionem Debitorum pro neceſſaria Principatus defenſione ab Anteceſſore contractorum (veluti ſi bellū movere, vel *limitaneos* ac præſidiarios *milites* alere coactus fuiſſet) jure obligetur. Id quod præjudicio quodam Cameræ Imperialis in quadam cauſa confirmatum fuiſſe aſſerit Caſpar. Klock. *de contribut. cap. 8. num. 64.*

II. Præterea Prælatus accipiendo mutuam pecuniam pro *ſua ſuorumque neceſſaria ſuſtentatione*, Eccleſiam quoq; & conſequenter ſucceſſorem ſuum æque ad ſolutionem obligat, quia Eccleſia tenetur alimentare Prælatum. Redoan. *de reb. Eccleſ. non alien. quæſt. 4.* Ludovic. Molina *de jure Primogenit. lib. 1. cap. 10. num. 32.* Surd. *conſ. 333. num. 33.* verè Conſil. Argentor. *24. n. 23. vol. 2.* ubi de probationibus & conjecturis. Henning. Gœdden. *conſil. 36. num. 1.* Ubi ait, ita ſæpius in facto fuiſſe reſponſum in Rectoribus Eccleſiæ, qui in infirmitate ſua multa debita contraxiſſent: Tum enim Succeſſores hujusmodi

debita

debita ſolvere coactos fuiſſe. Adi quoque Nattam *conſil. 547. num. 21.* Sforz. Oddum. *de reſtitut. part. 2. quæſt. 51. artic. 5. n. 57.* Quo faciunt ea, quæ tradit de debito in liberorum Majoratus poſſeſſionis alimoniam contracto. Franc. de Cald. *lib. 1. quæſt. forenſ. 23. num. 69.* Idem quoque dicendum eſt, ſi Epiſcopus aut Prælatus Imperii nomine ipſius *Dignitatis Epiſcopalis*, hoc eſt, adminiſtratorio nomine pecuniam mutuo acceperit; verb. gr. quo *Pallium* à Pontifice redimere potuerit; vel quo *inveſtituræ* pretium perſolvere neceſſum fuerat. Quibus & ſimilibus caſibus ſucceſſorem debita hæcce agnoſcere, obligatum eſſe dico *per cap. Abbate. 3. §. porro. ibi:* fuerint nomine Dignitatis factæ. *X. de ſent. & re judic.* quoniam ea, quæ nomine Dignitatis contracta ſunt, non in perſonam, ſed in rem contracta ſint. *l. ſicut. §. fin. D. quod cujusque univerſ.* Cum Dignitas non moriatur, *pr. Nov. 8. §. illud quoque in fin.* Jaſon. *conſil. 192. n. 10. vol. 2.* Peregrin. *conſil. 1. n. 13. vol. 2.* Intrigliol. *de feud. quæſt. 8. num. 94. cent. 1.* In terminis Conſil. Argentor. *24. num. 26. vol. 2.* Caſpar. Klock. *de contribut. cap. 8. num. 68. & ſeqq.* latè Herm. Vult. *in conſil. Marpurg. 35. n. 116. vol. 3.* Hinc optime referens apud Gylmannum in noſtris terminis hiſce formalibus ſcribit: Nec refert, quod Succeſſor non habeat cauſam à prædeceſſore, ſed de novo creetur per Electionem. *per l. ſi quis domum. D. locat. l. lex vectigalis D. de pignor* Licet enim ſucceſſor non habeat cauſam à prædeceſſore ſuo, ſuccedit tamen in ipſum jus Dignitatis; & contractus ipſam efficit dignitatem, cujus eſt Adminiſtrator, ſecundum Caſtrenſ. *in l. digna vox. C. de legib.* Bald. *conſil. 326.* Hæc referens apud Adrianum Gylman. *lib. 2. rer. judicat. Auguſt. deciſ. 51. num. 27. & ſeqq.* Ita quoque cenſet Menoch. *conſil. 815. n. 72.* Nicol. Boer.

deciſ. 226. num. 5. Joh. Petr. Surd. *conſil. 33.* ubi tradit: Sufficere debitum fuiſſe contractum pro utilitate Eccleſiæ, etiamſi non probetur in rem Eccleſiæ verſum eſſe. Thom. Merckelbach. *apud Klok. 54. num. 56. & 57. vol. 2.* Ac ea, quæ usque huc dicta ſunt de pecunia ab Epiſcopo mutuo accepta, ut exinde ſucceſſor quoque obligetur, locum obtinent non tantum in contractu mutui, ſed etiam in aliis quoque Contractibus, ſecundum Joh. Petr. Surd. *conſil. 181. num. 43. & ſeqq.* Menoch. *2. Arbit. caſ. 432.* quamvis diſſentiat Franc. Ripa *in reſponſis tit. de Depoſito Reſponſ. 1. num. 3. & 5.*

III. Secularis Princeps aut Comes Imperii, ſi propter Dignitatem ac ex natura officii æs alienum contraxit, ſucceſſorem in Principatu aut Comitatu æquè obligat, quàm ſemetipſum, *per cap. Abbate. 3. §. porro. ibi: fuerint nomine Regni factæ. de ſentent. & re judic. libr. 6.* Et hoc ex ſuperius adducta ratione: Quod ea, quæ ſub nomine Dignitatis contracta ſunt, non in perſonam, ſed in rem concepta ſunt, ideo cum perſona non moriuntur, ſed ad ſucceſſorem tranſeunt; Cum Dignitas non moriatur, *per Novell. 8. §. illud quoque in fin.* Marcus Anton. Peregrin. *conſil. 1. num. 13. & ſeqq. vol 2.* Hinc Baldus ſcribit in caſu propoſito: Ea quæ procedunt à ſede, ſunt perennia & æterna. Hujusmodi ſunt Contractus Regum, quia contrahunt nomine ſuo & Regni, ſeu Gentis ſuæ. Nam Regnum continet in ſe non ſolum territorium materiale, ſed etiam ipſas Gentes Regni. Ac paulo poſt: In contractibus Regum eſt expreſſum, quod reales ſint & tranſeant ad ſucceſſores in Regno, ſi celebrati ſint nomine Dignitatis. Nec mirum, quia in Regno conſiderari debet Dignitas, quæ non moritur,

& etiam

& etiam Univerſitas, ſeu Reſpublica ipſius Regni, quæ etiam exactis Regibus perſeverat, ſicuti *Ariſtoteles* ſcribit: Mundus non moritur, ſed diſpoſitiones Mndi moriuntur, mutantur, alternantur, & non perſeverant in eadem qualitate, &c. Hæc Baldus. *conſ. 159. lib. 3. ac conſil. 271. num. 2. & ſeqq. lib. 1* Quem ſequitur Andr. Tiraquel. *de jur. Primogenit. quæſt. 35. num. 11. & 12.* In terminis Principum Imperii, quod Anteceſſorum Debita ſolvere teneantur, tradit latiſſimè Ludolph. Schrad. *conſ. 3. n. 399. & ſeqq. ac conſil. 9. per tot. & 10. num. 14. & ſeqq.* Herman. Vult. *conſ. 35. num. 116. vol. 3.* Cothmann. *reſponſ. 52. n. 231. vol. 2.* Beſold. *de ſucceſſ. & elect. lib. 3. diſſert. 2. num. 6.* Caſp. Klock. *de Contribut. cap. 8. num. 68. & ſeqq.* Et hoc absque dubio procedit, ſi Princeps aut Comes Imperii ſuccedat in Comitatu aut Bonis allodialibus. Quo caſu ſucceſſor Principis ad debita ſui Anteceſſoris qualiacunque tenetur, ac ex quacunque Prædeceſſoris conventione obligatur, per Regulam qua dicimus: Ex quo quis lucrum capit, ejusdem factum præſtare tenetur, Bald. *in cap. 1. de natura feud.* Johan. à Nevizan. *conſil. 12. num. 30. inter conſil. Bruni.* Quod in terminis noſtris latius deducit Conſil. Argentor. *30. num. 44. & ſeqq. vol. 1.* Succeſſor enim in Principatu aut Comitatu, qui ſimul eſt hæres ob agnitam, & ſimul apprehenſam hæreditatem, omninò etiam cogitur factum defuncti præſtare, & conſequenter æs alienum à Defuncto conflatum exolvere. Et quidem ſi inventarium non confecerit in ſolidum Succeſſor tenetur, ſecundùm Roſenth. *de feud. cap. 7. concluſ. 20. num. 12.* Si vero confecerit inventariũ, eatenus Princeps Succeſſor obligatur, quatenus hæreditatis vires ſe extendunt. Intrigliol. *de feud. quæſt. 51. n. 95.* Gotofred. Anton. *diſput. feud. theſ. 9.* Dn. Tabor. *de obligat.*

ligat.ſucceſſ.cap.5. num.22. Ac quamvis *Ludov. Molina* tradat, quod homines privati tantum beneficio inventarii honeſtè uti poſſint, ne ultra vires hæreditarias teneantur. *l. cum à matre. C. de rei vindicat.* Regibus autem & Principibus inverecundū eſſe beneficio inventarii uti; allegando Oldrad. de Ponte *conſil. 94.* Idque exemplificando in Regibus Arragoniæ & Caſtellæ tradat. *in tr. de jur. Primogen. libr. 1. cap. 10. n.31.* Attamen etiam Principem aliamve illuſtrem perſonam ad inventarii confectionem obligatam eſſe, eamque absque ulla labe ſuſcipere poſſe, docet Roland. à Valle, *de Inventar. confect. part. 1. quæſt. 3.*

IV. Et hoc verum eſt, in ære alieno à Principe Anteceſſore contracto, non tantum ratione Dignitatis & ex natura officii: ſed etiam in Debito, quod inutiliter vel ex alia cauſa, veluti occaſione luſus conflatum eſt; Cum hoc caſu Princeps hæres in univerſum Jus defuncti tam activè quam paſſivè ſuccedat, ac conſequenter ad debita quoque obligetur. vid. Carpzov. *in Iurispr. Forenſ. part. 2. Conſtit. 46. def. 1.* Quod autem in Imperio Romano Germanico Comitatus ac Dynaſtiæ reperiantur, quæ allodiali Jure gaudeant ac poſſideant, extra Controverſiam eſſe cenſeo, inter eos, penes quos notitia Imperii Romani Germanici ac hiſtoriarum Germaniæ exiſtit; Talis eſt Comitatus Moërs, Werthaim & aliæ quæque. Præſertim cum quælibet res præſumatur eſſe allodialis *per cap. 2. Feud. 41. de Controv. inter maſcul. & fœm.* Hart. Piſtor. *libr. 2. quæſt. 39. num. 2. Gail. 2. obſ. 69. num. 4.* Quæ præſumptio in quibuslibet bonis, etiam Regalem dignitatem annexam habentibus, locum habet; Etiamſi ſit Ducatus, Marchionatus

aliusve Principatus. Menoch. *3. præſumpt. 91. num. 8. ac conſil. 1. num. 35.* Roſenthal. *de feudis. cap. 12. concluſ. 14. n. 15.* Sixtin. *de Regalib. lib. 1. cap. 4. num. 60.* Beſold. *conſil. 212. num. 2.* Licet Regalia quædam eisdem annexa, ab Imperatore & Imperio feudali Jure percipiantur. Idem tradit & deducit latè in terminis Civitatum Stollberg & Weringrode; Nempe quod Succeſſores in officio Magiſtratus dictarum Civitatum ex Contractu ac Debito abſque eorum conſenſu aut præſcitu inito, efficaciter obligentur. Theod. Hoppingk. *in reſponſ. conſil. 2. Q. 2. fol. m. 131.*

V. Sin verò Princeps aut Comes Imperii in Bonis feudalibus ac Titulatis Imperii Ditionibus ſuccedat; quamvis jure feudali Bona feudalia æris alieni ſolutioni obnoxia non ſint, ac Vaſallus qui defuncti Hæres non exiſtit, Feudum tantum retinere, Debita autem hæreditaria regulariter ſolvere non teneatur, *per cap. 1. lib. 2. feud. 28.* Cravetta *conſ. 197. num. 1. & 2.* Marc. Anton. Peregrin. *lib. 1. conſ. 1. num. 48.* Carpzov. *in Iuriſpr. forenſ. part. 2. Conſtit. 46. defin. 1. & ſeqq.* Conſil. Argentor. *30. numer. 41. & ſeqq. vol. 1.* Otto Tabor. *dict. tract. cap. 5. num. 22.* Hoc tamen locum minime habere cenſeo, in ære alieno propter dignitatem feudi Regalis & titulati contracto, aut quod ex natura feudi vel propter utilitatem initum ac conflatum eſt. Diſſentit Gail. *lib. 2. Obſerv. 154.* ubi Græven *n. 1. 2. & 3.* Hæc enim debita realia cenſenda ſunt, quamvis à poſſeſſore feudi titulati contracta ſint, adeoque ipſum Feudi Succeſſorem ſive ille Filius ſive Agnatus fuerit, obſtringunt. Unde communis Doctorum ſententia eſt, quod ſi Princeps Succeſſor in Feudis ex pacto & providentia Patris

Aa hære-

hæreditatem adierit, nullo facto inventario, Ille factũ quoque contractum & debitum Patris approbare cenſeatur, eaque omnia præſtare obligetur, ſecundum tradita Bald. *in l. qui ſe patris. n. 19. ff. unde liberi.* Alexan. *conſil. 13. num. 7. ac conſil. 29. num. 14. vol. 5.* Philip. Dec. *conſil. 445 num. 86. ac conſil. 468. n. 3.* De qua communi opinione atteſtatur Roland. à Vall. *in conſil. 97. num. 44. & 48. vol. 1. ac conſil. 44. n. 4. & ſeqq. vol.* 3. Iohan. Petr. Surd. *conſil. 353. num. 5. ac conſil. 457. num. 29.* Ubi de magis communi opinione loquitur Jul. Clar. *recept. ſentent. §. feudum. quæſt. 42. verb. ſucceſſivè.* Mich. Graſſus *in recept. ſent. §. Hæreditas. quæſt. 12. n. 29.* Doctor Marta, *conſil. 26. n. 40.* Magnum enim eſt diſcrimen inter onera à feudo provenientia ac inter onera quæ à Feudatario promanant. Quibus debita Dignitatis accenſenda non ſunt, ſicuti hoc egregiè deducit Erneſt. Cothman. *vol. 2. conſil. 92. n. 3. & ſeqq.* Jacob. Thoming. *deciſ. 27. n. 6.* Modeſt. Piſtor. *quæſt. 122. ubi Apoſtill. num. 30.* Adde Purpurat. *conſ. 17. & conſil. 20.* Albert. Brunus *conſil. 104.* Quod latiſſimè deducit in terminis Marc. Ant. Peregrin. *conſil. 1. num. 45. & ſeqq. vol. 2. ac conſil. 4. n. 46. vol. 1.* Hinc optimè ſcribit Author Conſultationum Saxonicarum: *Debitum quod Defunctus contraxit ratione ſeu occaſione feudi, pro dotanda ſorore, vel pro danda vita viaticis fratribus militantibus (hoc enim eſt onus feudi) vel pro ſervitiis, quæ Domino ratione feudi præſtitit tempore belli: Vel ſi Vaſallus Defunctus pro Domino feudi fidejuſſit, & coactus fuit ſolvere æs alienum quod contraxit: Hiſce creditoribus tenetur Agnatus ex feudo, licet ſit ex Providentia Domini,* Conſul. Saxon. *part. 1. de Contractibus quæſt. 110. num. 9. & ſeqq.* Pari modo bene ſcribit de Principibus Imperii Klock.: Quod cum Succeſſor territorii Ducalis & territorialis ſit univerſalis Succeſſor, ideò cum omni

omni cauſa, qualitatibus & vitiis in Ducatu ſuccedat, conſequenter omnia ea præſtare tenentur, quæ Ducatui incumbant. Caspar. Klock. *conſil. 30. num. 133. vol. 2.* Idem de ære alieno contracto in liberorum Majoratus alimoniam, aut pro dote filiarum, vel circa lites factæ pro rerum defenſione, ac ſucceſſore obligante. latè tradit Franc. de Caldar. *lib. 1. quæſt. forenſ. 23. n. 69. 70. & 71.*

VI. Idem quoque dicendum in Debito ob utilitatem Ducatus aut Comitatus contracto, juxta regulam à Feudiſtis communiter traditam: Quod Vaſallus ſucceſſor feudi æs alienum propter feudi meliorationem initum, omninò ſolvere teneatur *arg. cap. 1. §. ſi Vaſallus. lib. 2. Feud. 28.* Roſenthal. *de feudis. cap. 7. concluſ. 22. in fin. ac cap. 9. concl. 15. num. 10.* Gotofr. Anton. *diſput. feud. 5. th. 9. lit. D.* Quibus adde Menoch. *conſil. 589. num. 15. & 19.* Schrader. *de feudis part. 8. cap. 2. ſub num. 6.* Anton. Monach. *de feud. interpret. cap. 64. n. 18.* Vide latè Roſenthal. *de feudis. cap. 10. concl. 43. num. 175.* Franc. de Caldar. *quæſt. forenſ. 23. num. 71. lib. 1.* Ubi tradit quod Succeſſor ad æris alieni pro utilitate Majoratus contracti ſolutionẽ perpetuo teneatur. Sanè ea, quæ usque huc deducta ſunt, multò magis vera ſunt, & firmiter procedunt in *Filio Succeſſore* ac ſuccedente in Ducatu, Comitatu aliove feudo Dignitatis & Titulato, & hoc *per cap. un. lib. 2. feud. 45.* in quo Feudiſtæ graviter deſudarunt. Ubi juris Feudalis Author conſtituit, quod filius non poſſit hæreditatem ſine beneficio repudiare, aut utrumque retinere, aut utrumque repudiandi cogatur ad hunc effectum, ut de debito hæreditario aliquid feudi nomine ſolvat. Et hoc per gravem & optimam rationem quam in integro ſuo tractatu ſuper hunc titulum ſingula-

gulariter adducit *in cap. 8. & 9.* Antonius Monachus, quoniam ſucceſſio eſt quid univerſale, ac quid univerſum in jus defuncti. Ac quoniam ſucceſſio aut hæreditas ſcindi aut dividi non poteſt, ideò nec hæreditatem à beneficio, nec beneficiū ab hæreditate ſeparare licet. *per l. 1. & ſeqq. D. de acquir. hæredit.* Caldar. *de jure emphyt. quæſt. 7. n. 43.* bene Menoch. *conſil. 202. ſub num. 66. & 67.* Nam qui privatur poteſtate conſequendi Univerſale, ſub quo particularia continentur, videtur privari potentia conſequendi ipſa particularia in eo univerſali contenta, *per text. in l. ſi quis cum totum. 7. in pr. & fin. D. de Except. rei judic.* Alexand. *conſil. 16. n. 1. lib. 1.* quod latiſſimè deducit Anton. Monach. *tr. de recta feudor. interpret. cap. 8. 9. & 16. per tot.* Quibus adde Afflictis. *deciſ. 240.* Vincent. de Franchis, *deciſ. 1. num. 32.* Roland. à Valle, *conſ. 44. lib. 3.* Marc. Anton. Peregrin. in terminis æris alieni, *conſ. 4. num. 50. lib. 1.* Præterea aliam & veram quoque hujus aſſertionis cauſam deducit Duarenus, cum *Merenda* ex pietate à filio patri debita; Cum enim dedecus magnum (inprimis Principi aut Comiti Imperii propter æs alienum) exiſtimetur abſque hærede decedere. §. *1. Inſt. quib. manum. lic. vel non.* Conſuetudinum feudalium Authores jure cenſuerunt, indignum eſſe Feudo eum, qui adeo negligit famam paternam: Ab eoque non debere ſperare Dominum, condignam fidelitatem & obſequium, qui cum poſſet ſine ſuo incommodo (confecto nempe inventario) hæreditatem capere, voluit paternum nomen cum dedecore inter homines verſari. Duaren. *de feudis. cap. 11. num. 9.* Anton. Merenda. *controv. jur. lib. 6. cap. 15. num. 15.* Quibus adde præcipuè Ant. Monach. *dict. tract. cap. 4. per tot.* Mynſing *cent. 3. deciſ. Camer. 67. num. 10.* Sonsbeck. *de feudis. part. 9.*

num.

num.168. vide latiſſimè Roſenthal. *de feudis. cap.7. concluſ. 20. & 21.*

VII. Quod tamen intelligendum eſt de Feudo hæreditario ſive novo ſive antiquo: item in feudo novo ex pacto & providentia, in quo Filius aut quicunq; alius Agnatus ſucceſſor feudalis, æs alienum exſolvere tenetur, quacunq; occaſione aut quoquo modo, etiamſi extra cauſam dignitatis aut utilitatis illud contractum ſit, Gail. *lib. 2. Obſerv. 154. num. 10.* Schrader. *de feudis. part. 7. cap.7. num.32. & ſeqq.* Schneid. *eod tract. part.4. num. 40. & ſeqq.* Franc. Burſat. *conſil. 49. n. 49.* Franciſ. de Caldar. *in terminis ſucceſſoris* in majoratu loquendo, *quaſt. forenſ. 23. num. 67. lib.1.* Herman. Vult. *de feudis lib.1. cap. 9. n. 115.* Quibus adſtipulatur in terminis æris alieni poſt alios, Roland. à Valle, *conſ. 1. num. 40. libr. 2. ac conſil. 100. n. 142. libr. 4.* Peregrin. *dict. conſil. 1. n. 47. vol. 2. ac conſil. 1. n. 49. lib. 1. ac conſ. 47. n. 4.* quamvis diſſentiat latiſſimè Cephal. *conſ. 224.* late Anton. Monach. *de rectâ feud. interpr. ad tit. An Agnat. cap. 28. part. 1.* Ubi hanc diſtinctionem quoad hunc *tit. An Agnat.* penitus rejicit Hartman. Piſtor. *lib. 2. part. 1. quaſt. 2. per tot.* In Feudis verò antiquis familiæ, & Titulatis ex pacto & providentia, ſucceſſor etiamſi ſit filius, ad ſolutionem æris alieni non tenetur. Quoniam in hiſce feudis ſeparatio inter bona allodialia ſive hæreditaria, & bona feudalia ex pacto admittitur, nec Titulus *An agnatus. lib. 2. feud. 45.* in Feudis partitionis locum habet, ſecundùm Oſaſch. Cacheran. *deciſ. 162.* Mynſinger. *cent. 4. Obſervat. 6.* Menoch. *conſ. 202. num. 53. lib. 3.* Marc. Anton. Natta apud Sylvan. *conſil. 52.* Clar. *§. feudū. quaſt. 76.* ac de communi teſtatur opinione Peregrin. *dict. conſil. 1. num. 48.* Niſi debita ob dignitatem Feudi

Digitized by Google

titulati contracta fuerint, ac hoc modo in naturã realis conventionis tranſierint. Quoniam hoc caſu Princeps Succeſſor, non ut Hæres, ſed ut Dignitatis Succeſſor veluti Princeps aut Comes conſideratur. Abbas & Decius *in cap. 1. in prim. notab. X. de probat.* Marc. Anton. Peregrin. *conſil. 1. num. 45. & 47. vol. 2.* Idque ſecundùm ea quæ ſuperius dicta ſunt.

VIII. Hoc tamen inſtar Cautelæ ad evitandas varias concertationes admonendum eſſe neceſſarium cenſeo. Ut Creditores Principis aut Comitis defuncti primum exactè perquirant: An Princeps aut Comes in Ducatu aut Comitatu ære alieno gravato, univerſalis fuerit ſucceſſor, absque ulla ſeparatione bonorum vel inventarii confectione, adeo ut cum feudalibus bona quoque allodialia poſt mortem Patris aut Agnati occupaverit: Quo caſu ſucceſſor in Principatu aut Comitatu Dignitatis & pactionati, ad quæcunque debita Anteceſſoris, etiam ad ea quæ extra caſum Dignitatis contraxit, efficaciter obligatur Andr. Gail. *2. Obſerv. 154. num. 18.* Joh. Otto Tabor. *de Oblig. Succeſſ. cap. 5. n. 22.* An autem feudi Hæreditarii ſucceſſor conficiens inventarium feudum retinere, eoque modo ab ære alieno ab Anteceſſore conflato ſeſe liberare poſſit? disputant DD. Andr. Gail. hoc aſſerit. *2. O. 154. n. 16.* Contrarium tenent Sonsb. *de feud. part. 9. n. 169.* Fab. de Anna *conſil. 5.* Vinc. de Franch. *deciſ. 1. num. 34.* Vide Authores apud Græven. *libr. 2. conſil. 154. n. 4.* Adi quoque Joh. Petr. Surd. *conſil. 305. n. 12. & per tot.* Quo facit Schenck. Baro *de feudis libr. 3. tit. 23. n. 10.* Zaſius *eod. tract. part. 8. num. 10.* Laur. Sylvan. *conſil. 30. num. 8.* Franc. de Caldar. *lib. 1. quaeſt. forens. 23. num. 67.* Ac quoniam pauci Ducatus aut Comitatus in Imperio Romano

Digitized by Google

Romano Germanico reperiuntur, qui non varia & multa allodialia bona, imo quandoque ditiones comprehendant, ideo Principes aut Comites Succeſſores in officio, ita ſimpliciter ſuccedentes, tantò fortius ad æs alienum prædeceſſoris patris aut agnati aſtringuntur. Unde bene in hiſce terminis tradit Franc. de Amaya, *ſucceſſio jure ſanguinis quæ fit jure ſanguinis, ita conjuncta eſt cum ſucceſſione bonorum, ut una ab altera ſeparari nequeat.* Franciſc. de Amaya *ad l. providendum. 23. num. 16. & ſeqq. C. de decurion. libr. 10.*

IX. Inſuper etiam hoc obſervandum eſſe addo, quod quamvis Andreas Gail. vir ſummè practicus *in obſervat. Camerali 154. n. 4. lib. 2.* conſtanter aſſerat; Quod Princeps Imperii ſucceſſor in feudo ex pacto & providentia ad æris alieni ſolutionem minimè teneatur, idque graviſſimo Camerali præjudicio corroboratum eſſe aſſerat: Eumque ſequatur Græven *in concl. 154. libr. 2.* ad Gailium. Hoc tamen ita expeditum non eſſe, atteſtetur *Caſpar Klockius*, in Camera Imperii per aliquot annos inſignis Practicus dum ſcribit. Die Traditio quod Succeſſor ex pacto & providentia non teneatur factum ejus præſtare cujus Hæres non eſt, Iſt etwas zweiffelhafftigs: vnd iſt einmal gewiß/ daß ſolch einſtrewen/ die jetzt regierende Herrn Marggrafen von Brandenburg vnd Churfl. Pfaltz/ ſo von etlichen von Herrn Reinharten Pfaltzgraven bey Rhein herrühren/ der Schulden Bezahlung ſich dardurch loß würcken wollen / am Keiſerl. Cammergericht überfahren mögen. Cum etiam Succeſſor territorii & Weis/potius univerſalis quam ſingularis ſucceſſor exiſtimetur, Ideoque ſuccedat cum ſua cauſa, qualitatibus & vitiis ut ferè formaliter dixit Bald. *conſil. 202. num. 2. vol. 2.*

vol. 2. Anton. Capyc. *deciſ.* 20. *num.* 29. Hæc Klock. *conſil.* 29. *num.* 132. *&* 133. *vol.* 2.

CAPUT XV.

De Principis Expectativa Conceſſione, & de primariis Precibus, quas Succeſſor regiminis ſartas tectas obſervare tenetur.

SUMMARIA.

I. 9. infertur, Principem aut Comitem Imperii in conceſſionibus quoque expectativis Anteceſſoris ſui promiſſum ſervare obligatum eſſe.

II. Aliter ſe res habet in perſonis Eccleſiaſticis: ut & de conceſſione prabendæ vacatura.

III. Cæſareæ preces primariæ ſuper beneficiis primò vacaturis in idoneas perſonas collatæ valent.

IV. Q. An expectativa primarum precum ad beneficium Eccleſiaſticum poſt mortem Imperatoris duret, ita ut ſucceſſor in Imperio illam revocare nequeat? quod affirmatur ab Autore.

V. Q. An Imperator Anteceſſoris inveſtituram abuſivam de feudo obſervare, ac Feudum Principi Impetranti conferre teneatur? quod negativè deciditur.

I NOno infertur ex ſupra deductis, quod Princeps aut Comes Imperii *in Conceſſionibus quoque Expectativis* Anteceſſoris ſui promiſſum ſervare obligetur; quod in ſpecie in feudo per inveſtituram abuſivam (ut vulgo vocatur) Titio conceſſum aſſeritur; Quam conceſſionem feudi expectativam Princeps Succeſſor obſervare tenetur. Et hoc quidem meritò *per cap. un. §. moribus. tit. ſi de feud. def. content.* ubi Afflictis Alvarotus & Feudiſtæ. *cap. un. qui ſucceſſ. teneant. lib.* 1. *feud.* 9. Princeps enim ſucce-

ſuccedit in officio & Dignitate, ideo ea quæ ſunt de dignitate & natura officii præſtare obligatur. Ita Zaſius *de feudis part. 6. num. 19.* Borcholt. *eod. tract. cap. 7. n. 19.* Hieron. Schurpff. *conſil. 52. num. 10. cent. 1.* Hartman. Piſtor. *lib. 2. quæſt. 25.* Roſenthal. *de feudis cap. 4. n. 19.* poſt alios Gail. & Græven. *2. obſervat. 15. per tot.* Gotofred. Anton. *diſput. feud. 7. theſ. 1. lit. E. in fin.* quod latè per rationes dubitandi & decidendi deducit Dn. m. Bocer. *tract. de inveſtitura cap. 5. num. 15.* Quamvis diſſentiat poſt Paul. Picum *in cap. un. §. moribus. verb. inveſtiri. ſi de feud. defin. lib. 2. feud. 26.* Mart. Mager. *d. advoc. arm. cap. 16. n. 831.*

II. Sanè in *perſonis Eccleſiaſticis*, vel in Epiſcopo aut Abbate Imperii, expectativam feudalem concedentibus aliud dicendum eſſe Dd. communiter aſſerunt. Nec Prælatus Succeſſor Anteceſſoris ſui inveſtituram abuſivam ratam habere tenetur. Cum ille jure Electionis ad officium accedat ac præſentium tantum rerum, non etiam poſt mortem adminiſtrationem habeat. *per cap. final. cauſ. 12. quæſt. 1. cap. 2. X. de donat.* Roland à Vall. *conſil. 1. n. 40. ac conſil. 66. n. 39. vol. 2.* Jacobin. *de feud. verb. ſed an Princeps. n. 1.* Borcholt. *de feud. cap. 7. n. 19.* Gotofr. Anton. *dict. diſput. 7. theſ. 1. lit. E. in princip.* Ita intelligendus eſt Schneid. *de feudis part. 3. num. 93.* Et cum eo quoque Dn. Otto Tabor. *de oblig. ſucceſſ. cap. 5. num. 19.* qui tamen *ſub cap. 6. num. 5. & ſeqq.* latius hanc controverſiam pertractat. Limitationes ſuggerit Schrader *de feud. part. 5. cap. 2. n. 33.* latiſſimè Caſp. Klock. *conſil. 4. à n. 73. & ſeq. vol. 2.* Idem qnoque dicendum de conceſſione *Præbendæ vacaturæ*, quam Succeſſor Prælatus obſervare & adimplere non tenetur. Cum regulariter tales conceſſiones jure canonico prohibitæ ſint. *per cap. 2. X. de conceſſ. præ-*

bend. Zypæ. *in analyſ. jur. pontif.* Franc. Marc. *part. 1. deciſ. Delphin 455. n. 45.* Qui haſce Conceſſiones omino exoſas, & antiquitus non uſitatas eſſe aſſerit. Gail. *2. Obſerv. 155. n. 6.* ubi declarationem hanc ſubjungit: ſcilic. quod aſſertio præfata procedat in promiſſione certi hominis: ſecus verò, ſi generalis & incerta fiat conceſſio primæ vacaturæ præbendæ in Eccleſia, ſecundùm Salycet. *in l fin. num. 11. C. de pactis.* Græven. *2. concluſ. 155. n. 1. & 2.* Quæ tamen moribus Pontificiorum non amplius obſervatur. Johan. à Chockier *de prec. primar. ſect. 2. verb.* Communiter *fol. m. 44.* Joh. Aloyſ. Ricc. *coll. deciſ. 1574. ac coll. deciſ. 1662.* Sicuti haſce expectativas latè defendit, & contrariis reſpondet Auguſt. Barboſ. *ad cap. relatum. 9. num. 2 & ſeq. X. de præbendis & dignit.* Optimè tamen conceſſiones præbendarum vacaturarum refellit Rol. à Valle, *conſ. 47. n. 55. & 69. vol. 1.*

III. Ex qua diſtinctione ſequitur & ſuſtinetur, quod Cæſareæ preces primariæ ſuper beneficiis primò vacaturis, quas Cæſar bene meritis vel aliis perſonis idoneis conferre conſuevit, valeant & perpetua firmitate nitantur. Quoniam generalis & incerta eſt hujusmodi Cæſaris gratia & conceſſio. Andr. Gail. *2. obſerv. 155. n. 7.* Johan. à Chockier. *tract. de primar. precib. Imper.* Habent enim Imperatores Imperii Romano-Germanici inter Regaliorum jus etiam poteſtatem ex coronationis ſuæ adimpletione præſentandi vigore primarum precum unum vel alterum ad quodcunque beneficium eccleſiaſticum primò vacaturum. vide Martin. Rümelin. *ad Aur. Bull. part. diſſert. 4. ubi Dn. Speidel.* Beſold. *in Theſaur. practic. verb.* Pariſ. Brieff. Speidel. *in ſpecul. notab. jur. polit. lit. P. verb.* Pariß Brieff. *4.* Dn. Limnæ. *2. jur. publ. cap. 9. num. 2. & ſeqq.*

IV. Hinc

IV. Hinc oritur elegans & practicabile dubium. *An gratia & conceſſio primarum precum ad beneficium Eccleſiaſticum, etiam poſt mortem Imperatoris duret, ut Succeſſor in Imperio illud revocare nequeat, in eo caſu, quo beneficium ab Impetrante nondum adhuc acquiſitum fuit.* Hanc quæſtionem per rationes pro una & altera ſententia examinat Johan. à Chockier, *in tract. de precib. primar. ſent. 4. verb. Quoq. fol. m. 53. & 104.* Ubi contra Imperatorem concludit, contrariis autem non reſpondet. At ego Succeſſorem in Imperio Romano-Germanico Impetrantem in acquirendo beneficio ſuo, caſu eveniente manutenere debere cenſeo. *Tum* quoniam Commiſſio Executori data non regulatur ad inſtar mandati, quod re integra expirat, ſed inſtar gratiæ ſeu privilegii perſonæ à Cæſare facti, quod perpetuo durat, nec morte, re etiam integra expirat. *per cap. ſi ſuper gratia. 9.* ubi Canon *communiter de Offic. & poteſt. delegat. in 6.* Franc. Burſat. *conſil. 25. n. 5.* Primarias autem preces Imperatores habent ratione dignitatis, quæ reales cenſentur, nec morte concedentis expirant, licet effectum nondum habuerint. *Tum* quod Impetrans per acceptationem gratiæ quantumvis generalis faciat ut res deſinat eſſe integra. Card. Pariſ. *conſ. 145. num. 14. vol. 1.* Oldrad. *conſil. 229.* Moredan. *deciſ. 354.* Nam per acceptationem gratiæ, etiam expectativæ acquiritur jus ad rem. *per cap. fin. de conceſſ. præbend. in 6.* ubi Auguſt. Barboſa *num. 3.* Caſſiodor. *deciſ. 3. num. 3. tit. de præbend.* Hinc Doctores Canonum dicunt, quod expectativa jus implorandi officium ſuperioris tribuat Impetranti, ut vacanti beneficio ei provideat. *per dict. cap. ſi ſuper gratia. 9. de Offic. & poteſt. delegat. in 6.* Johan. Aloyſ. Ricc. *coll. deciſ. 1662.* Ita in terminis Frideric. Petruc. de Senis *conſil. 78. per tot.* Lappus allegat. 17.

Q.

Æneas de Falcon. *de reſervat. part. 2. quæſt. 5. n. 4.* Jacob. Puteus *lib. 3. deciſ. 35.* & noviſſimè hoc latè deducit Franciſc. Pegna *deciſ. Rot. Rom. 244. num. 2. 11. 12. & 14. ac deciſ. 249. num. 1. per tot. in tom. 1.*

Q. V. Alia occurrit & quidem ſatis nodoſa quæſtio, *An Imperator Anteceſſoris ſui inveſtituram abuſivam de feudo Imperii titulato (quam vulgo expectativam vocamus) caſu eveniente obſervare, ac feudum eo regnante apertum Principi Impetranti, conferre teneatur?* Sunt qui hoc aſſerunt; Cum Imperator ea faciendo, quæ ſunt de officio Imperatoris (veluti infeudare) æquè ſuum in Imperio Succeſſorem obliget. Dn. m. Henric. Bocer de Regalib. *cap. 4. n. 16.* Elias Roſac. *6. in practſ. forenſ. cap. 61. num. 15. & 20.* Et hoc indies ex praxi Imperii fieri videmus. Contrarium aſſerit Roſenthal. *de feud. cap. 6. concluſ. 17.* Schrader. *eod. tr. part. 3. cap. 2. num. 25.* Borcholt. *eod. tract. cap. 7. n. 19.* Alios authores vide apud Græven. *2. Concluſ. 155. num. 13.* Otto Tabor. *dict. tr. cap. 5. n. 19. in fin.* Et *hoc per text. in cap. 1. An apud judic. vel pars Curiæ.* Quoniam Imperator non accipit Imperium ab Anteceſſore jure hæreditario, ſed ad faſtigium hujus dignitatis per electionem evehitur. Quod latiùs tradit Mart. Mager *de advoc. arm. cap. 16. n. 31.* Conſentit quoad omnia latiſſimè Everh. Jun. *conſil. 1. n. 25. & ſeqq. vol. 1.* qui ſub *n. 23. & ſeqq.* contrariis reſpondet. Ubi tn. in quatuor caſibus Succeſſorem in Imperio Regni Germanici Anteceſſoris ſui expectativam feudalem adimplere & ſartam tectam ſervare obligatū eſſe tradit. *I.* ſi conceſſio iſta per modum legitimi contractus fiat. *II.* ſi conceſſio ſui gratia expectativa per Imperatorem Anteceſſorem mediante inveſtitura conſummata ſit. *n. 26.* *III.* ſi Imperator cum conſenſu Ele-

ctorum

ctorum talem expectativam certorum feudorum conceſſiſſet. *num.27.*

IV. Si Princeps Vaſallus qui poſſidebat feudum vivente Imperatore concedente mortuus eſſet, quam conceſſio expectativa nondum fuerit adimpleta. *n.28.* Veruntamen cum in conceſſione hujusmodi expectativæ feudi Imperialis vix unquam accidat, ut unus vel alter caſus contingere ſoleat, ideo diſcordantes hæ opiniones facilè in concordiam reduci poſſunt. Hiſce haud diſſimilis ſubjicitur Quæſtio; *An Princeps Succeſſor expectativam Advocatiæ ab Anteceſſore conceſſam, obſervare teneatur?* Quod relatis in utramque partem rationibus *negativè* reſolvit Martin. Mager. *de advoc. armat. cap. 6. n. 819.* Cui reſolutioni non ita ſimpliciter ſubſcribendum eſſe cenſeo. Q.

CAPUT XVI.

SECTIO I.

Declarationes quædam ſupra dictorum, quatenus Succeſſor, Principis Anteceſſoris pacta, tàm ſtrictè ſervare teneatur.

SUMMARIA.

I. *Prædicta vera ſunt in promiſſionibus conſenſum & æquitatem naturalem habentibus.*

II. *Princeps Succeſſor donationes à Prædeceſſore ſuo in grave Reipublicæ præjudicium initas, illæſa exiſtimatione revocare poteſt.*

III. *Quod exemplo Caroli VIII. & Franciſci I. Galliarum Regum, ut & Philippi II. Hiſpaniarum Regis demonſtratur.*

IV. *Idem Iuris eſt, ſi Princeps modicas quidem, ſed plures largitiones fecerit, ex quibus conjunctim calculatis magnū*

Principatui præjudicium & detrimentum infertur.

V. *Aliter ſe res habet in pactis pacis, quæ Succeſſorem etiã invitum obligant.*

VI. *Vel ſi Rex aut Princeps aliquid contra juſtitiã & æquitatem promiſerit, quod Princeps Succeſſor adimplere non tenetur, etiamſi Anteceſſor illud in mandatis dederit.*

VII. *Impp. Romano-Germanici jus abolendi & aggratiandi jure proprio habent.*

VIII. *Princeps criminum abolitionẽ ex variis cauſis concedere ſolet.*

IX. *Rex Reo crimen indulgens, etiam pœnam remiſiſſe cenſetur.*

X. *Abolitio ſeu indulgentia criminis Reo pleniſſimam ſecuritatem attribuit.*

XI. *Aggratiatus à Principe, æquiparatur abſoluto per ſententiam.*

XII. *Quod eo magis procedit, ſi delictum aut injuria adverſus ipſum Principem à Reo commiſſum fuerit.*

XIII. *Imò ſi criminis indulgentia,* bey Fürſtlichẽ oder Gräffl. wahren Worten *ſopita eſt.*

I. CÆterum in ſupra dictis caſibus, hoc obſervandum eſt, omnia ea, quæ hucusque dicta ſunt, vera eſſe in Contractibus, promiſſionibus, aliisve conventionibus, quæ *Conſenſum, Iuſtitiam, & æquitatem naturalem* Comites habuerunt. Hiſce enim deficientibus, quicquid agitur, circumventio magis quam conventio nuncupatur, quæ non magis Contractus eſt, quam ſi Nummus falſus, Nummus quoque dicitur. *per text. cum Gloſſ. in l. omnes. C. de hæretic.* Nic. Boer. *ad Conſuet. Bituric. tit. de re tr. feud. §. ult. Gloſſ. un.* Tiraquell. *de jur. retract. part. 1. §. 1. gloſſ. 2. num. 12.* Joan. Lopez. de Palac. Ruuior. *in Rubr. §. 70. num. 31. X. de donat. inter V. & V.* Quod ſummè notandum eſſe cenſeo cum doctiſſimo & *æquanimo Pruckmanno* contra hoſce Aulo-Politi-

liticos,qui prima apud Principem occupantes ſubſellia, gratiam per tot inhiationes aucupantur, inverecundâ aviditate ita Principem conſtringunt, ut etiam non concedenda tribuat, & ob id Principatum ejus magnis donationibus, monopoliis, aliisque artibus depeculando, immenſos patrimonii reditus comparaverunt. Contra hoſce Aucupatores Principem Succeſſorem optimo jure repetundarum agere & elargita revocare poſſe & debere cenſeo. *per l. 1. D. ad l. Iul. repetund.* Imprimis per text. egregium *in l. 1. C. de petit. bonor. ſublat.* Ita ſub *Carolo IX.* Galliarum Rege ordines Regni Gallici, Lutetiæ Pariſiorum *Anno M C LXI.* congregati Guiſios repetundarum reos agere ob immenſas donationes, in eos à defunctis Regibus collatas, decreverunt. Auth. Hiſtor. *Gall. part. 1. lib. 2.* Frider. Pruckman. *de abſolut. poteſt. Princip. cap. 4. membr. 2. effect. ſeu quæſt. 2. num. 22.* Matth. de Afflictis *ad §. ſimiliter. lib. 2. feud. 51. num. 16.* Cravetta *conſil. 10. num. 13. & 17.* Baro Enenckel. *de privileg. libr. 1. cap. 5. num. 12. & ſeqq.* Franc. de Amaya *ad l. ſi quando. 2. num. 16. C. de bonis vacant. lib. 10.* Leonh. Leſs. *de Iuſtit. & jur. libr. 2. cap. 17. dubit. 6. n. 48.*

II. *Declarantur* hucusque tradita in Conventionibus aut Donationibus à Principe Prædeceſſore *in grave præjudicium* Reipublicæ initis. Quas Princeps Succeſſor illæſa exiſtimatione revocare poteſt *per cap. fraternitatis X. de donat. cap. intellecto.* Ubi Canon *X. de jurejur.* Modeſt. Piſtor. *conſil. 63.* Johan. à Sande *de prohib. rer. alien. cap. 6. n. 18.* Enenckel. *de privileg. lib. 3. cap. 11. num. 41.* Quoniam Princeps regulariter non poteſt diminuere jura aut bona Principatus, quando diminutio tendit in magnam Ducatus læſionem aut diminutionem

nem. Tholoſan. de Republ. *libr. cap. 20. num. 61.* Nicol. Reuſner. *deciſ. 4. lib. 4.* Dieter. *de Summo Imperio theſ. 53.* Auguſt. Barboſa *ad cap. abbate ſane. 3. num. 4. X. de appellat.* Unde *Baldus* tradit : Imperium ſeſe habere inſtar Corporis, cui ſi vel auricula amputetur, monſtroſum efficiatur. Etſi enim inter regias virtutes non minima ſit liberalitas, quæ Principi laudem & amorem conciliat; ſecundum Imperatorem Juſtinianum *in Novell. 7. cap. 2. §. ſinimus. ibi :* Quid enim cauſatur Imperator ne meliora det ? Bonifacius Roger. *conſil. 49. num. 2. 4. & 25.* Scriban. *in Polit. Chriſtian. libr. 2. cap. 5.* Matth. Caſtrit. *de Princip. German. virtut. libr. 2. cap. 8.* Bern. Exner. *in Val. Maxim. Chriſtian. lib. 6. c. 11.* Illa tamen, ut cum delectu & modo fiat, neceſſe eſt. Sueton. *in Tito Veſpaſ.* Filio *lib. 8. cap. 8.* Ubi Caſaubon. Dandum autem eſt, quod nec tibi nimium nocet, nec alteri, ne ita detur, ut diu dare non poſſis, nec redundet in largientis incommoda, Michael. Piccart. *obſerv. Hiſtor. Polit. decad. 12. cap. 2.* Non enim eſt liberalis, qui dat indifferenter, ſed qui rectè diſcernit inter accipientes & modum in largiendo obſervat. Fulv. Pacian. *de vero Principe cap. 3. num. 90.* Dictus Piccart. *obſerv. Hiſtor. Polit. decad. 14. cap. 6.* Ideò dum nimiæ Magnatum largitiones fiunt, illæ tanquam inofficioſæ vel ab ipſis Principibus vel à Succeſſoribus ſublatæ & retractæ fuerunt. Ita *Galba* Imperator profuſas bis & vicies mille ſeſtertium largitiones *Neronis* revocavit, decima parte liberalitatis apud quemque relicta. Sueton. *in Galba cap. 15.* Idque bene factum juxta Tacitum : *juſtiſſimum enim eſt hoc inde repeti, unde inopia cauſa erat.*

III. Sic *Carolus VIII.* Galliarum Rex Ludovici patris

tris donationes immodicas reſcidit & fiſco inferri curavit, multis refundere coactis etiam id, quod jam inſumpſerant. Belleforeſt. *hiſtor. lib. 5. cap. 150.* Ita *Franciſcus I.* gratiam Supremi Imperii in Principatu Arauſienſi *Joanni Cabilono* ex ſingulari benevolentia, à Ludovico XII. anteceſſore factam, revocavit, ejusque filium in fidem rurſus revocavit. A quâ tamen viciſſim pacificatione *Madritiana*, A°. 1559. *ipſe Guilielmus* cum Succeſſoribus liberatus fuit, & imperium abſolutum obtinuit. Thuan. *hiſtor. lib. 31.* Quocirca Advocatus *Fiſci Neapolitani*, monuit *Carolum VIII.* Galliæ Regem, qui tum temporis Regnum occupaverat, ut jure ſuo à Baronibus merum mixtumque in ſubditos ſuos repoſceret, quo ipſos donarat *Alphonſus* Rex, ſuprema Neapolitani Senatus Jurisdictione ſolutum. Nam jus coronæ individuum miſerè diſcerpebatur eâ pleniſſimâ jurisdictione Anno 1444. conceſſa. Matth. de Afflictis *ad Conſtitut. Regni.* utriusque Siciliæ *quæſt. 24. in prælud. numer. 9. & 10.* Digna enim eſt Imperatoria Majeſtate, regnantis illa *Zimiſci* vox revocantis id quod Nicephorus prædeceſſor, Cubiculario ſuo Baſilio immodicè conceſſerat: *Indignum eſſe* (dicens,) *publicis poſſeſſionibus multorum præſtantium Virorum ſudoribus & ſanguine partis, unum ſpadonem perfrui.* Zonaras in Zimiſce, hæc & alia Arniſæ. *de jur. majeſt. lib. 1. cap. 7. num. 7.* Syring. *de Pace religion. theſ. 19. lit. B.* Eodem jure & modo ipſe *Philippus II.* Hiſpaniarum Rex nimis injuſtis & gravibus uſuris à Mercatoribus Genuenſibus preſſus & deceptus, quo ærarium oppreſſum ſublevaretur, A° 1596. curſum uſurarum in poſterum ſtitit, revocatis penſionibus ex quacunque cauſa Negotiatoribus aſſignatis. Auguſtus Thuan. *hiſtor. lib. 117. fol. m. 710.* Vide de hac declara-

tione imprimis Menoch. *conſil. 1003. numer. 19. & ſeqq.* Mantica *de tacit. Convent. lib. 5. tit. 12. & 15.* Conſil. Argentor.*30. num. 52. vol. 1.* Conſil. Marpurg. *16. num. 228. vol. 4.* Thom. Michael *de jurisdict. concluſ. 15. & ſeqq.* Baro Enenckel. *de privileg. lib. 3. cap. 11. num. 41.* Franc. Niger. Cyriac *controverſ. forenſ. 402. num. 40. & ſeqq.*

IV. Cæterum in hac *Declaratione* ſecunda etiam hoc ulterius notandum eſt, quod idem juris ſit, ſi Princeps *modicas* quidem, ſed *plures largitiones* fecerit, etiam pro diverſis temporibus ſui Regni; Ex quibus largitionibus, ſi conjunctim calculatis magnum Principatui præjudicium & detrimentum infertur; eæ tanquam nocivæ à Principe Succeſſore jure revocari poſſunt. Lucas de Penna *in l. quicunque num. 12. C. de omni agro deſerto lib. 11.* Pariſ. *conſil. 1. à num. 122. vol. 2.* Neguſant. *inter conſil. Albert. Brun. 12. numer. 53. & paſſim* Monoſus *reſponſ. 45. num. 26.* Primæ enim donationes non debent diſtrahi ab ultimis, quia regnum eſt quid individuum, & unitas cauſæ efficientis concernit omnes actus ſuos. *p. l. cum quæritur. D. de adminiſtr. tut. l. ſed. & cum D. de negot. geſt.* Alex. Trentacinq. *Var. Reſolut. lib. 3. tit. de donat. Reſolut. 4. ſub num. 5.* Ita in terminis poſt alios Balthas. Gilmon. de la Motta *in addit. ad Molinam de jure primogen. lib. 1. cap. 3. num. 16.*

V. Hæc tamen *ſecunda Declaratio* non procedit in Principe qui pacem pangit, *tempore neceſſitatis* aut vi bellica coactus, etiam cum imminutione Regii Patrimonii; ſecundum ea quæ ſupra *cap. 8. deducta ſunt.* Cum enim Princeps Anteceſſor hoc jure peregerit, neceſſitate publica id ſuadente, ut totum Regnum aut Principatus

cipatus conſervetur, ſecundum ea quæ latè tradit Franciſc. Zypæ. *in hiatu Chaſſani lib. 1. 2. 4. 5. & ſeqq.* Ubiq; hæc tranſactio ſive conventio ſucceſſorem etiam invitum obligat & aſtringit Zypæus *dict. lib. 2. cap. 13.* Alber. Gentil. *de jure belli, libr. 3. cap. 22.* Petr. Gudelin. *de Pace cap. 11. fol. m. 61.* Quamvis diſſentiat Matth. Cuno *de pactu lib. 1. cap. 22. num. 69. & ſeqq.*

VI. Declaratur III. ſi Rex aut Princeps aliquid contra Juſtitiam & æquitatem promiſerit, aut ſtipulatus fuerit, quod Princeps Succeſſor adimplere nō tenetur, etiamſi Anteceſſor illud in mandatis dederit. Hinc non incongruè hoc loco quæritur, *An Rex aut Princeps Titio criminis reo, in actu inaugurationis, aut alio tempore ſui regiminis, pœnam remittens, poſtmodum pœnitentiâ ductus, Regi aut Principi Succeſſori ſuo per Teſtamentum, vel vivâ voce moribundus de jure in mandatis dare poſſit,* ut poſt ejuſdem mortem Titium Reum ad *ſupplicium ducat?* ac Princeps Succeſſor *illud adimplere teneatur?* Sanè *negativa* ſententia æquiſſimo nititur fundamento: Ac Principem Succeſſorem, hanc à ſuo Anteceſſore datam criminis abolitionem, nec reſuſcitare, nec ſui Anteceſſoris mandatum executioni dare poſſe, nec debere, cenſeo. Certum enim, & indubitatum eſt, exiſtente veteri forma Romani Imperii, jus delicta abolendi, & pœnas remittendi Imperatoribus Romanis jure proprio competiiſſe. Quod non tantum ex Tacito, Suetonio, & aliis Hiſtoricis, ſed etiam abundè eluceſcit tàm ex Reſponſis Prudentum, quàm ex Reſcriptis Imperatorum, de qua indulgentia vide inprimis *l. 4. in fin. D. de pœnis. l. indulgentia. C. de ſententiam paſſis. l. acta apud. 45. §. 1. ibi,* ſine principali autoritate, *D. de re judicata. l. reſcripta. 7. ibi,* vel crimen ſup-

plicantibus in lulgeat, *C. de precib. Imperat. offerend. tot. tit. C. de abolit. general. & ſpecial.* ubi Diodor. Fulden, & Anton. Perez & DD. Einſidel. *de Regalibus. cap. 2. n. 62.* Sixtinus *de Regalib. lib. 1. cap. 2. num. 17.* Bocer *eod. tract. cap. 2. num. 235.* Chriſtoph. Creſpi de Valdaura, *Obſervat. Deciſ. 5. num. 1. & ſeqq. per tot.* Andr. Svvarz. *de jure aggratiandi, poſit. 2. lit. C.* Daniel Claſſen. *eod. tractat. cap. 6.*

VII. Murato verò Imperii Romani Statu, & forma regiminis, hoc jus abolendi & aggratiandi Imperatores Romano-Germanici jure proprio habent, ſecundùm ea, quæ communiter tradit Dn. m. Bocerus de Regalib. *cap. 2. n. 235.* Roſenthal. *de feudis, cap. 5. concl. 1. n. 2.* Henr. Bruning. *de jure univerſitat. poſit. 28.* Cluten. in Sylloge. *theſ. 22. lit. B.* Svvartz. *dict. poſit. 2. lit. C.* Item abolitionis & indulgentiæ jus ac criminis condonandi poteſtatem ſucceſſu temporis Electores, Principes, & cæteri Status Imperii in ſuis territoriis obtinuerunt, idque à tempore quaſi ipſius Imperii Romano-Germanici initiali regiminis formæ, abſque ulla contradictione & diſputatione exercent. Dn. Reinking. *libr. 1. claſſ. 5. cap. 6. num. 27. & ſeqq.* Carpzov. *de crimin. part. 3. quæſt. 150. n. 19.* Anton. Caler. *de jure Imper. theſ. 40.* & alii apud dictũ Suuarz. *dict. diſſert. poſit. 3. lit. D.* Dan. Claſſen. *dict. tract. cap. 7.* Ant. Faber in Codice, de Duce Sabaudiæ loquens, *lib. 9. tit. 22.* Henr. Kinſchot. *tract. de remiſſionibus delictorum, cap. 1. n. 4.* Ego in tract. *de Statib. Imperii. cap. 50. n. 13.*

VIII. Solet autem Princeps criminum abolitionem, ſeu indulgentiam, (quæ tamen aliàs ſtricto jure differunt) & conſequenter pœnarum remiſſionem *ex variis cauſis* concedere; Imprimis autem in ingreſſu re-

ſu regiminis, & actu inaugurationis, vel ob feliciſſimas nuptias, Dn. Gars. Maſtrill. *ad Indultum generale Regis Philippi III. in proœm.* Joſeph. Mainard. *ad tit. C. de publ. lætit. fol. 49. num. 2.* Vel ob natalitia ſui, aut cujusdam filii; Id quod fecit *Conſtantinus* ob natos ſibi liberos, Criſpum & Helenam, de quo *libr. 1. C. Theodos. de indulgent.* Aut propter rem proſperè à ſe geſtam; aut ob publicam gratulationem, de quo Papinianus *in l. abolitio. 8. cum l. ſeq.* ac Ulpianus *in l. ſi interveniente. 12. D. ad SC. Turpillian.* Franciſc. Marc. *part. 1. deciſ. 662.* Chriſtoph. Cruſ. *de indiciis. part. 1. cap. 91. ac part. 4. cap. 50. per tot.* Diodor. Fulden. *de cauſis corrupt. judicior. lib. 2. cap. 15. & ſeqq.* Creſpi. de Valdaura. *dict. Obſerv. 5. cap. 2. num. 192. & ſeqq.*

VIII. Proinde ſi *Rex* jure ſuæ poteſtatis abſolutæ, aut Princeps vigore jurisdictionis territorialis Reo crimen indulget, utique pœnam quoque remiſit. Effectus enim abolitionis criminum eſt, non tantum, ut delictum commiſſum condonatum ſit, verum etiam, ut delinquenti pœna omnimodo ſit remiſſa. Proinde ſi pœna, aliàs ob legis diſpoſitionem reo infligenda, ex gratia, & authoritate Imperantis remittitur, vel alteratur, utique etiam crimen tollitur, reſcribente Imperatore Diocletiano *in l. 2. ibi:* indulgentia noſtra crimen extinxit, ac Imperatore Valentiniano, *in l. 3.* ibi, pœnæ gratiam facit abolitio. *C. de generalib. abolit.* Franc. Marc. *part. 1. deciſ. 662.* Et hoc ad exemplum divinæ Clementiæ, quæ peccata ſemel dimiſſa in ultionem redire non patitur. *per cap. ſi illic. 29. cauſ. 23. quæſt. 4.* Nec apud Deum amplius crimen debet appellari, quod remiſſione ſemel deletum eſt. *cap. quod autem. 7. cauſ. 32. q. 1.* Quem Principes & omnes Judices meritò imitari de-

bent,ſecundum Juſtinianum Imperatorem, *in Novell.69. cap.4.ibi.* Imperatore ſequente Deum, Alexand. de Imola. *conſil.11. vol.1.* Paul. Merenda. *conſil.90. n. 2. vol. 2. ap. Criminal.*

IX. Nam ſi crimen non aboleretur hac principali indulgentià, utiq; delinquens adhuc obligaretur ad pænam à lege imponendam,quæ tamen condonatione & abolitione remiſſa fuit. *arg.text. in l. hos accuſare.12. §.1. ibi,* repeti ſe non debere. *D.de accuſat.* Tiber. Decian. *de criminibus. lib.3.cap.35.* Ludov.Roman. *conſil.223. & 213.* Dn.Garſ. Maſtrill. *de indult. cap.45.* Daniel Claſſen. *de jure aggratiandi cap.20.* Siquidem hujus abolitionis etiã hic effectus non minimus exiſtit, ut reus criminis ex SCto Turpilliano amplius non teneatur, nec poſt abolitionem crimen inſtaurari poſſit, *per text. in l.mulier.4. §.1.ibi,* inſtaurari *D.ad SCt. Turpill.* Et abolitione publicè factà, non retractabitur in judicio crimen repetendo, utpote omnia jam publicè remiſſa: ſunt verba JCti Papiniani, *in l.aut privatum. 10. §. 1. D. dict.tit. ad Senatusconſultum Turpillian.* Adeò, ut reus amplius incarcerari, aut moleſtari non poſſit. Angel. Aretin. *de maleficiis.verſ. & ad querelam.num.75.fol.81.* Guazzin. *de defenſione reorum defenſione.30. cap.6.num.6.* Johan. Maria Vermigliol. *conſil. crimin.387. per tot.*

X. Et hæc *abolitio* criminis id quoque efficit, ne reus pro eodem delicto amplius accuſari queat: ac, ne ſemel finita inſtantia reſtauretur, ipſe Præſes provinciæ, interceſſione ſuæ autoritatis proſpicere tenetur; juxta reſcriptum Imperatoris Diocletiani *in l.1.C de abolition.* Siquidem abolitio, ſeu indulgentia pleniſſimam attribuit

buit

buit ſecuritatem, reſcribente Imperatore Carino *in l. ſi docueris. 9. ibi*, interventu indulgentiæ delictum ſopitum eſt. *C. ad L. Cornel. de falſis.* Covarruv. *var. reſol. libr. 2. cap. 10. num. 2.* Pariſ. *lib. 4. conſil. 1. num. 1.* Farinac. *in criminal. tit. 1. quæſt. 4. & 6.* Jul. Clar. & cum eo Giachar. & Bajard. *in prax. crimin. quæſt. 59. à princip.* Ludov. Carer. *in pract. crimin. tit. de homicidio. verſ. vigeſimo nono excuſatur. num. 1. fol. m. 441.* Telamin. Cathar. *de Execut. contra bannit. cap. 3. num. 64. & ſeqq.* Hinc bene ſcribit Antonius Gomezius, *Si pœna, delictum caſtigans, remittitur, vel in aliam mutatur non amplius poteſt delictum obligare, ſed illud, & remiſſum, & abolitum eſt. Quamdiu enim delictum vim delicti ex violatione legis habet, tamdiu lex operatur pœnam delicto debitam; ſed ſi pœna fuerit ſublata, ob diſpenſationem de lege, quæ ſummæ poteſtati adſcribitur, ſtatim ipſum crimen abolетur, tum ne planè ad id puniendum, tum ne ad ſeverius vindicandum agatur.* Anton. Gomez, *tom. 3. var. reſol. cap. 13. num. 36.*

XI. Proinde ex quo Princeps ſuam gratiam largiendo, Reo criminis impunitatem dedit, & delictum abolevit, mortuam hanc criminis inſtantiam reſuſcitare, ac Principi ſuo Succeſſori in mandatis nullo jure dare poteſt, ut illud crimen jam abolitum debita pœna in reo vindicet: Cum aggratiatus à Principe, æquiparetur abſoluto per ſententiam. *arg. l. cum indulgentiâ: 10. ibi*: ne vereris de calumnia. *C. de ſentent. paſſ. & reſtit.* Bald. *lib. 4. conſil. 204.* Paul Merenda *apud Zillettum. conſil. 90. n. 2. vol. 2.* Farinac. *in criminalib. tit. de Inquiſit. quæſt. 4. n. 1.* Nec *Succeſſor* mandatum commiſſum de jure adimplere poteſt; quoniam ea, quæ legitimis mediis ſopita & finita ſunt, ac ex quo pacti jam jus quæſitum eſt, ne Imperiali reſcripto quidem reſuſcitari oportet. *arg. l. cauſas. 16.* ubi Dn.

Dn. Richter, & DD. *C. de Tranſact.* Retr. Paul. Pariſ. *libr. 4. conſil. 1. n. 61. & 67.* Grammat. *deciſ. 105. n. 19.* Decian. *conſ. 137.* Plaza *de delictis. lib. 1. cap. 38. num. 2.* Brunor. à Sole, *quæſt. legal. 17. n. 30. & per tot. fol. m. 36.* Don Garſias Maſtrill. *de indultu. cap. 45. num. 4. & per tot.*

XII. Et hoc tanto magis procedit, ſi delictum aut injuria *adverſus ipſum Principem* à Reo commiſſum fuerit; Qui (hoc non attento) in ipſo inaugurationis actu, ob publicam lætitiam delinquenti abolitionem dedit. Criminis enim abolitio majorem effectum habet, ſi etiam ipſe, qui injuriam paſſus eſt, ſuum conſenſum ad obtinendam abolitionem accommodaverit: Quem Princeps ſuâ propria abolitionis gratia demonſtrat, arg. Reſcriptum Imperat. Valent. & Val. *in l. fin. ib.* ſuum conſenſum. *C. de abolitionibus.* Quæ abolitio tantò magis firma eſt, nec à Succeſſore, etiamſi Princeps Anteceſſor id in mandatis dederit, reſuſcitari poteſt. Actus enim obligatorii jam firmi, & ex quibus pars jus acquiſitum habet, pœnitentiâ unius retractari minimè poſſunt, per *cap. quod ſemel. 21. de regul. jur. in 6. l. ſi quis in ſcribendo. 29. C. de pactis.* Nec pœnitentia locum habet, ubi quis jus ſuum remiſit. *per l. ſi judex, 41. D. minor. l. 17 §. 1. D. de acquir. heredit. cap. ſuper hoc. 5. X. de renunciat.* Petr. Peck. *ad cap. quod ſemel. D. regul. jur. in 6.* Paul. Gallerat. *de renunciat. libr. 4. cap. 2.* Henric. Balthaſar. Roht. de *pœnitent. cap. 7. regul. 5. & 6.* Maſtrill. *dict. tract. de indultu. cap. 45. num. 9.*

XIII. Ulterius obſervandum eſt, quod ſi hæc criminis indulgentia *ſub verbo Principalis Dignitatis* & fidei bey Fürſtl. oder Gräflichen wahren Worten / Ehren und

Würden

Würden ſopita eſt; illa eò minùs reſuſcitari, aut Reus amplius ullo modo examinari, inquietari, aut moleſtari poteſt, extincto ſcilicet omni criminalitatis jure, per *d. l. ſi docueris. 9. ibi*: Indulgentiâ delictum ſopitum eſt. *C. ad L. Cornel. de falſis.* Pariſ. *d. conſil. 1. num. 65. vol. 4.* Farinac. *conſil. 46. num. 17. & ſeqq.* Steph. Guazzin. *de defenſ. reor. defin. 30. cap. 6. num. 6.* Quoniam verba principalis dignitatis, & fidei, non tantùm juramento æquipollent, ſecundùm communem Imperii Romani praxin & conſuetudinem: ſed etiam quoad effectum, & firmitatem, pro juramento realiter præſtito, cenſentur: Quibus Princeps aut Comes Imperii abſque macula & labe dignitatis, contravenire non poteſt, *arg. text. in l. ſi quis major. 41.* ubi Joh. Bolognet. Bertazzol. *& Dd. C. de transaction.* Paul. Wehner. *in obſervat. practic. verb.* Angeloben. Matth. Weſenbec. *conſil. 23. n. 56.* Kellenbenz. *de renunciat. fil. illuſtr. quæſt. 3. per tot.* Gail. *lib. 2. obſervat. 59. per tot. vide ſupra cap. 6. per tot.*

SECTIO II.

SUMMARIA.

XIV. Proponitur I. objectio Politicorum & Statiſtarum: in Principibus contumeliam illatam altâ mente repoſtam manere, exemplo Tiberii, & Saulis.

XV. Confirmatur teſtimoniis & exemplis Veterum.

XVI. Reſpondetur 1. agi hic de crimine penitus ſopito. 2. ſimulationem & diſſimulationem non eſſe extendendam ultra limites honeſtatis.

XVII. Confirmatur hoc effatis Catonis & Ageſilai, aliorumque.

XVIII. Proponitur in contrarium II. exemplũ Regis Davidis, qui moriturus Salomoni Filio præcepit, injuriarum ante remiſſarum vindictam ſumere à Simei.

XIX. Proponuntur diverſæ diverſorũ Reſponſiones: 1. Davidem perjuriũ commiſiſſe.

XX. 2. Davidis juramentum fuiſſe invalidum, quia deſtitutum fuerit comitibus juramenti duobus, judicio & juſtitia.

XXI. 3. Crimen Simei, fuiſſe crimen læſæ Majeſtatis non perſonale ſolùm, ſed reale.

XXII. 4. Davidem crimen conditionaliter remiſiſſe, & vindictam injunxiſſe Salomoni per occaſionẽ delicti ſumendam.

XXIII. Author aſſumit interpretationem Roberti Stephani, ſcil. Salomonem poſterius Simei delictum cum priori cumulando, morte vindicaſſe.

XXIV. Confirmatur exinde, quia delictũ regulariter non capitale, propter ſolam reiterationem capitaliter puniri poteſt.

XIV. NEc *quempiam* movere debet I. ea Politicorũ & Statiſtarum traditio, quod, licet in privatis injuriam diſſimulatione aboleri & remitti, JCti dicant; in Principibus tamen, aliisve illuſtribus viris, contumelia illata maneat altâ mente repoſta, quouſq; occaſio, ad animum revocandi, ſe offerat. Ita in præſens, Tiberius injuriam civiliter habuit, *inquit Cornelius Tacitus*, ſed in animo revolvente iras, etiamſi impetus offenſionis languerat, memoria valebat. Ita *Saul* diſſimulabat deſpectum filiorum Belial, ac erat quaſi ſurdus, Chriſtoph. Beſold. *de arcan. Rerumpubl. cap. 1. num. 10.* Nam cum in vita & regimine Principi multa obveniant, quæ nolit; ideo, ut ad effectum conſiliorum ſuorum veniat, multa ſimulet oportet invitus, & diſſimulet cum dolore, ut alicubi Marcus Tullius Cicero ſcribit. Gryphiand. *de arcanis regimin. th. 134. Itaq; cave* (inquiunt Politici non pauci) *Principem reprehendas, ſi cum vulpe pariter vulpinetur; ſi non ubique per juſtitiæ ac honeſtatis callem, ſed obliqua*

liqua fraudis quandoque tramitem ambulent: Eraſmus Chockier. *in Theſaur. Polit. lib. 2. cap. 13.* Vnde Plinius tradit, *Decipere pro moribus temporum, prudentia eſt.* Plin. *lib. 8. Epiſtol. ad Ruffin.* vid. Carol. Scribon. *in Chriſtian. Polit. libr. 1. cap. 13.* Thom. Roccabell. *in Principe deliberante. tit. Simulatione. fol. m. 160.*

XV. Proinde Rex aut Princeps in turbato Reipublicæ Statu, ac ut ad propoſitam metam perveniat, & diſſenſiones inteſtinas ſopiat, multa delicta complicibus condonando, quandoque ſimulare ac diſſimulare neceſſum habet, ac hisce mediis, tanquam dolo bono uti poteſt, quæ tamen, pacato Regno, aut Reipublicæ Statu, ſervare non obligatur. Diſertè namque divinus Plato ſcribit, *Crebro mendacio & fraude uti Imperantes debere, ad commodum ſubditorum;* Plato *libr. 5. de Republic.* Ideo de ſeipſo ſcribit M. T. Cicero, *Itaque nunquam diffitebor, multa me, ut ad effectum horum conſiliorum pervenirem, & ſimulaſſe invitum, & diſſimulaſſe cum dolore.* Cicero *epiſtol. 3. libr. 10. ad L. Marcum.* Et alibi Cicero de C. Octavio Auguſto refert: *Licet ergo Patrem appellet Octavius Ciceronem, referat omnia, laudet, gratias agat; tamen illud apparebit, verba rebus eſſe contraria.* Tull. Cicero *lib. 2. Epiſt. 2. ad Brutum.* Vide ea, quæ huc afferri poſſunt ex Scipio. Amirat. *ad Tacit. lib. 1. diſcurſ. 4. & 5.* Althuſ. Polit. *cap. 26. n. 8. & ſeqq.* Hugo Grot. *de jure belli. lib. 3. cap. 1. n. 7.* Chockier. *dict. Theſaur. Politic. libr 2. cap. 13.* latiſſimè Dn. Reinhard. *condit. de fide politic. libr. 4. cap. 8. per tot.*

XVI. Ad hoc dubium *reſpondendo* I. ſciendum eſt, quod in propoſita Quæſtione non agatur de Simei lata aut diſſimulata abolitione, & indulgentia; ſed de cri-

mine indulgentiâ penitùs extincto & ſopito, quod ne quidem imperiali reſcripto reſuſcitari poteſt: cum gratia & abolitio inſtar rei judicatæ effectum remiſſionis obtinuerit: Rex autem vel Princeps gratiam & indulgentiam ſemel cum effectu conceſſam, ſine fidei violatione revocare, & reum criminis quondam obnoxium de novo pœnâ aliquâ afficere non poteſt. 2. Quamvis ſimulatio & diſſimulatio inter partes *Prudentiæ* à Politicis referatur, habet tamen hæc prudentia ſuos limites, quos egredi impunè, & ſalvâ juſtitiâ & æquitate non licet; ut ſunt fides, honeſtas, integritas, virtus, quorum qui obliviſcitur, non amplius prudentis & Politici nomen meretur, ſed vafri, aſtuti, ſubdoli, & nefarii potiùs hominis. Reinhard. Condit. *dict. tract. de ſide polit. libr. 4. cap. 8. num. 20.*

XVII. Ego ſanè M. Catonem probo, qui ſecundùm Vellejum, nunquam rectè fecit, ut facere videretur, ſed quia aliter facere non poterat: cuique id ſolum viſum eſt rationem habere, quod haberet juſtitiã. Vellej. Patercul. *hiſtor. Roman. lib. 2. cap. 35.* Memorabilis eſt, & ſcita Ageſilai Regis ſententia, dicentis, Regiæ dignitati non aſtutiam, ſed bonitatis excellentiam convenire, apud Xenophon. Simulatio igitur honeſta eſſe debet, non multum à virtute recedens, quæ utilis, & in tempore aſſumenda, ſed ſemper cum honeſtate conjuncta, qua etiam juſti homines ad ſuam ſuorumq; ſalutem uſi ſunt, & uti poſſunt. poſt *B. Hieronim.* Beſold. *de arcan. Rerumpubl. cap. 1. n. 10.* latè Johan. Marnix. *in Polit. Reſolut. ſect. 7. reſolut. 4. per tot.* Vide de æquivocationibus & ſimulationibus latè Dn. Theodor. Thumm. de *juram. titul. de contrariis. fol. 158. & ſeqq.* Diſtinguit inter ſimu-

ſimulationem in vita publica & privata, Author apud Arumæ. *diſcurſ. jur. publ. 23. poſit. 40. vol. 3.*

XVIII. Valdè II. in contrarium quempiam movere debet, & poteſt, exemplum Regis *Davidis* cum *Simei*: Ex quo colligere & concludere licet, quod Rex aut Princeps condonans, in actu inaugurationis criminis reo condignam pœnam, idq; jurejurando confirmans, nihilominus Regi aut Principi Succeſſori in mandatis dare poſſit, ut ipſo mortuo, crimen admiſſum debitâ pœnâ vindicet. Præſertim ſi crimen læſæ Majeſtatis, conjurationis, ſeditionis, aut contra Statum publicum perpetratum fuerit, de quibus Nicol. Boer. *tract. de ſeditioſis.* Claud. Mondain. *eod. tract.* Scipio Gentil. *de Conjurat.* Dn. Bocer. *de crim. læſæ Majeſt.* *Factum eſt tale:* David Rex à filio Abſolone è Regno pulſus, & actus in exilium, usque Bahurim; egrediebatur inde vir de cognatione Domus Saul, nomine Simei, filius Gera, procedebatque egrediendo, & cœpit Davidi maledicere, lapidesque contra Davidem, & univerſos Regis viros militares, qui circumcirca latus Regis erant, projecit: maledicendo inſuper & clamando; egredere, egredere vir ſanguinum & vir Belial, id eſt, homicida & improbe, de quo *lib. 2. Samuel. cap. 16. à num. 5. & ſeqq.* ubi Robert. Stephan. Victo autem Abſolone, & à Joabo trucidato, mox Rege Davide à populo Israelitico in ſolium regium repoſito, Simeius, tanti commiſſi criminis pœnitentià ductus, in ipſo actu introductionis, coram Rege proſtratus ad Jordanem, ſubmiſſè veniam & indulgentiã petens, dixit, *Domine, Rex, ne imputes mihi Domine mi, nec memineris ejus, quod iniquè feci in die, qua eras Domine,* nec illud ponas Rex in corde tuo, *Agnoſco enim peccatum.*

tum. Quod animadvertens *Abiſai*, Dux exercitûs, Semejum utpote hominem ſceleratum, & ſecundùm Legem Moyſis (quod Chriſto Jehovæ maledixerit) nece dignum, à Rege Davide criminis indulgentiam petere, interloquendo dixit: Numquid pro his verbis non occidetur Simeius, quia maledixit Chriſto Domino: Ad quam inſtantiam indignè reſpondit Rex; Quid mihi & vobis, filii Serujah, commune, i. e. Gallicè loquendo, *Pourquoy vous ſouciez vous des mes affaires*. Quod ſitis mihi hodie adverſarii, ut propter verba veſtra non condonem iniquitatem Simei? Num hodie interficietur Vir in Iſrael? an non enim novi, quòd hodie ſim Rex de novo introductus ſuper Iſrael? Ideoque reſolutivè edixit Rex ad Simei, *Non morieris, juravitq; ei Rex*. Ita textus cum gloſſa ex Hebræo ſumpta, Robertus Stephan. *juxta verſionem* Sanctis Pagnini *libr. 2. Samuel. cap. 19. verſ. 18. & ſeqq.* Quo regio edicto non ſolum Simei crimẽ abolitum, ſed etiam pœnæ obligatio extincta & remiſſa fuit. Veruntamen, cum appropinquaverant dies Davidis, ut moreretur, præcepit Salomoni filio ſuo, dicendo: Ecce tecum eſt Simei, filius Gera, & ipſe maledixit mihi maledictione vehementi, & affecit me gravibus injuriis, eo die, quo ibam ad caſtra: at quoniam ipſe deſcendit in occurſum mei ad Jordanem, juravi ei per Jehovam, dicendo: *Non te interficiam gladio*. Nunc autem, *ne innocentem dimittas eum*, nec ſinas eum impunitum abire: & quum ſis vir prudens, noſti, quæ facturus ſis, *ac invenias cauſam, qua curabis, eum eſſe interficiendum*, ut deducas canitiem ejus cum ſanguine ad ſepulchrũ: Quod Patris Davidis præceptum Rex Salomon (*decipulam* quaſi Simei ponendo) egregio politico arcano, & ſtratagemate adimplevit: Simei enim intra fines urbis

bis Hieroſolymitanæ quiete vivere, ac ne muros & fines ejus huc aut illuc transgrediatur, ſub pœna capitis decrevit. Elapſo autem *triennio*, cum Simei ſervos fugitivos proſequendo in Gath abierat, eosque in obedientiam reducere intendebat, Rex Salomon eum, propter egreſſum urbis Hieroſolymitanæ, contra mandatum Legis, neci dare juſſit. Robert. Stephan. *juxta verſionem Sanct. Pagnin. cum gloſſa* ex Hebræo *deſumpta 1. Reg. 2. verſ. 8. & ſeq. ac verſ. 36. & ſeq.* Hinc Politici inter arcana Rerumpublicarum recenſent, exemplum Regis Davidis, quod demum moriturus, à Simei injuriarum vindictam ſumere, filio Salomoni, tanquam Succeſſori in Regno præcipiebat. Beſold. *de arcan. Rerumpublicarum. cap. 1. num. 10.*

XIX. Ad hoc Exemplum Doctores variè reſpondent; Nam *1.* ſunt, qui dicunt, Davidem juramentum Simei præſtitum de impunitate & indulgentia criminis, non probè obſervaſſe, ſed mandando, filio Salomoni in mortis articulo, ne permittat ut Simei inultus moriatur, perjurium commiſiſſe, revocando id, quod antea enixa voluntate ſub verbo Regio juratò condonavit. *Rationem* addit ipſe David, quoniam Simei maledixerit ipſi maledictione peſſimà: Ideò, ne eundem innocentem vivere patiatur, ſed etiam in extrema Senectute cum ſanguine ad ſepulchrum deducat: Injuriam enim & pœnam ex poteſtate regia Semeio remiſſam, ac jurato penitùs abolitam, jamjam moriturus ad cor iterum revocavit: Quod delictum verbo Regio condonatum, ſalvo jure, æquitate, & præſtito juramento, reſuſcitare non amplius potuit. Et hoc ad Exemplum divinæ Clementiæ, quæ peccata ſemel

mel remiſſa in ultionem redire non patitur; ſunt verba Gelaſiii *in c. ſi illic. 29. cauſ. 23. quæſt. 4. & per cap. quod autem 7.* ibi, cujus pœnitentis crimen divina credit miſeratione deletum: *cauſ. 32. quæſt. 1.* Beat. Auguſtin. *ad Pollentium, libr. 2. cap. 6.* Alexander de Imola. *Conſil. 11. vol. 1.* Paul. Merenda *in Conſil. Crimin. 90. num. 2. vol. 2.* David enim fuit *pars læſa*, & *pars ignoſcens*; potuit ergo crimen in ſuam perſonam commiſſum, ſcelerato Semejo condonare, crimen indulgendo abolere, ac ſummæ injuriæ ultionem, DEO Ter Optimo Maximo, tanquam Summo Judici, committere: Ad cujus imperſcrutabilem providentiam magis reſpexit, & quidem piè, quum ad Simejum, virum maledicum, ejusque maledictionem, ſecundum propriam aſſertionem *in verſ. & ait, 11. Sinite eum*, (ait,) *ut maledicat juxta præceptum Domini*; Forſitan reſpiciet Dominus afflictionem meam, & reddet mihi bonum pro maledictione hac *lib. 2. Samuel. cap. 16. verſ. 11. & 12.* Adeò, ut in hac actione *Regem Davidem* vix aliter excuſari poſſe videatur, niſi ex dicto ipſius *in Pſalm. 32.* pro remiſſione peccatorum omnes ſancti orabunt.

XX. Alii *II. Davidem* ob invaliditatem juramenti defendere conantur, quaſi hoc juramentum in forma fuerit nullum. Certum enim eſt, quod omne juramentum tres debeat habere Comites, Veritatem nempe, Judicium & Juſtitiam. ſecundum *cap. etſi Chriſtus 16. X. de jurejur.* Et hos quidem Comites fecit Hieronymus *lib. 1. ſuper Jerem. cap. 4.* Juravit, vivit Dominus in juſtitia, in judicio, in veritate; ac ſi iſta defuerint, nequaquam erit juramentum. *Cap. animadvertendum, 2. cauſ. 22. quæſt. 2.* Domin. Soto *de juſtit. & jur. libr. 8.*

lib. 8. quaeſt. 1. art. 7. Sanchez. *de matrim. lib. 1. cap. 32. num. 15.* Dn. Lælius Mancin. *de relaxat. jurament. cap. 14. num. 2.* Auguſt. Barboſa *ad dict. cap. animadvertendum.* Hiſce autem Comitibus, uno vel altero nempe tàm *judicii*, quàm *juſtitiæ* deſtitutum fuit Davidis juramentum: malè enim juraſſe Davidem, promittendo homini, læſæ Majeſtatis reo, impunitatem, ſcilicet, qui Principi ſuo, uncto Jehovæ, maledixerit, conſtat ex Lege Divina, *Exod. 22. verſ. 28.* Otth. Philipp. Zepper. *in Corroll. diſcurſ. annexo, fol. m. 126.* Alber Gentil. *Diſput. 1. ad tit. ſi quis Imperat. fol. m. 10.* Igitur mirum non eſt, quod hunc errorem Rex pius etiam in articulo mortis correxerit: Quo faciunt ea, quæ tradunt *Canoniſtæ*, quod jurans ſcienter aliquid omni jure illicitum, non indigeat abſolutione, vel relaxatione juramenti, ſed propriâ authoritate promiſſioni contravenire poſſit; *per cap. in malis. 5. ibi,* reſcinde fidem *cauſ. 22. quaeſt. 4.* Alciat. *& Dd. ad cap. cum contingat. num. 78. de jurejur.* Petr. Barboſa. *ad l. alia. 15. §. eleganter. num. 28. & 29. D. ſolut. matrim.* Guttierez. *de jurament. confirm. part. 1. cap. 72. num. 5. & ſeqq.* Anton. Cornæ. *tractat. de abſolut. juram. part. 4. cap. 1.* Læl. Mancin. *eod. tractat. cap. 13. num. 7. & 8.* Antonin. Barboſa. *ad cap. quanto. 18. num. 1. X. de jurejur.* Cum igitur id, quod temerariè & incautè jurato conventum, & promiſſum eſt, omni judicio careat, ideò nullam obligationem inducit; ſed per ſe invalidum eſt, & corruit: Quod alio Davidis exemplo illuſtrat D. Auguſtinus, *in Cap. quod David. 3. & cap. juravit. 4. cauſ. 22. quaeſt. 4.* Vide tamen Dn. Otth. Philipp. Zepper. *in dict. Caroll. fol. m. 127.*

XXI. Pro nullitate juramenti Davidis *III.* Si-

mei præſtiti, ac conſequenter non obligatorii, etiam hoc facit; quòd Simei ſuâ maledicentiſſimâ maledictione, & lapidum projectione adverſus Regem Davidem, & adverſus regios Viros, ac Seniores è populo Judaico, *crimen læſæ Majeſtatis* commiſerit, non tantum erga Davidem, ſed etiam erga populum Judaicum, & Synedrium ipſum, quod non ſolum crimen Majeſtatis perſonale, ſed reale erat, ſcilicet in univerſum Reipublicæ Iſraeliticæ ſtatum admiſſum: de qua diſtinctione, vide Dn. Henr. Bocer. *de crimin. Majeſtat. cap. 2. n. 13.* Carpzov. *in crimin. tractat. quæſt. 41. num. 24. & 108.* Delictum autem criminis læſæ Majeſtatis realis, ſcilicet ſeditionis, quo ipſe ſtatus publicus concutitur & affligitur, per ſolum Regem aut Principem, ſine expreſſo conſenſu populi, & ſubditorum, remitti & aboleri non poteſt. Fortun. Garſ. *in l. Gallus.* §. & quod ſi tantum. *num. 240. D. de liber. & poſthum.* Quod ita in ſuperioribus judiciis obſervari tradit Sforzia Ord. tract. *de reſtit. quæſt. 92. act. 2. num. 17.* Don. Garſ. Maſtrill. *tractat. de indult. cap. 37. n. 6.* Et hoc illuſtratur ea ICtorum ſententia, quod abolitione & indultu criminum generali, ſubditi rebelles, qui Regis Majeſtatem violatâ fide offenderunt, omnino non comprehendantur, Marſil. *in l. un. num. 130. C. de rapt. virg.* Decian. *de crim. lib. 7. cap. 27. num. 28.* Bellin. *de re militar. part. 9. cap. un. num. 29.* Chriſtoph. Creſpi de Valldaura. *obſerv. deciſ. 87. num. 31.* Quo faciunt tradita Henric. Kniſchot. *de remiſſ. homicid. cap. 13. & 14.*

XXII. Sanè Theologi IV. Regis Davidis ſimulatâ abolitionem, & Salomonis paterni mandati executionem in Simei nece, *per modum explicationis* ita excuſant, & defendunt: David Rex crimen Simeï remiſit, ſed con-

conditionaliter, nimirum ut caveret, ne in poſterum amplius delinqueret. Veruntamen jam moriturus, filio Salomoni in mandatis dedit, ut actiones Simei, tanquã hominis ſceleſti, exactè obſervaret, captaque occaſione puniendi Simeum ob novum delictum, tunc quoque in mentem revocet, quod ipſi Davidi, Regi ſuo, maledixiſſet maledictione vehementi, quò pœnam debitam exaſperare poſſet. Cum igitur Simeius terminos à Salomone poſitos & præfixos transgreſſus erat, hoc modo & medio Salomon occaſionem exercendæ juſtitiæ arripiebat, ut ſecundum præceptum divinum *Deuteron. cap. 19.* auferetur malum de medio, ac audientes cœteri timorem habeant, & nequaquam talia crimina committere audeant. vid. Dn. Luc. Oſiandr, Andr. Willet, Philip. Henric. Frid. lib. interpret. Angliæ, & al. *ad libr. 2. Samuel. cap. 19. verſ. 22. & lib. 1. Regũ. cap. 2. verſ. 8.* Theod. Thumm. *de juram. fol. m. 111.* Dn. Zepper. *in dict. Coroll. fol. m. 126. & ſeqq.* & alios. Verum enim verò, quocunque te vertas, vix eſt, ut ſcopulos evitare poſſis: Ac hic ſenſus ex textu erutus, magis additionem ſapit, quàm litteralem explicationem.

XXIII. Cœterum, utut ſit, mihi placet, Roberti Stephani interpretatio, ex ipſo textu Hebraico deſumpta, ſcilicet; David moriturus filio Salomoni, per modum admonitionis dixit: Noſti, quæ facturus ſis cum Simei, viro improbo; Nam cum ſis ſapiens & prudens, facilè invenies cauſam, quâ curabis eum interficiendũ: Robert. Stephan. *1. Reg. cap. 2. verſ. 9.* Cum igitur *Simei* poſt aliquot annos, præfixos à Rege terminos, contra præceptum transgreſſus eſſet, Salomon reiteratum Simei delictum, cum priori graviſſimo delicto cumu-

 lando,

lando, morte vindicavit. Quod à jure communi & æquitatè naturali non omnino alienum eſt; Licet enim crimen abolitione ſopitum ne quidem à ſucceſſore reſuscitare liceat, *l ſi docuerit. 9. ibi,* delictum ſopitum. *C. ad L. Cornel. de falſis.* Tiberius Decian. *de crimin. lib. 3. cap. 35.* Paul. Merenda. *conſil 90. n. 2. vol. 2.* Quod ſi tamen reus aggratiatus ſucceſſu temporis aliud delictum commiſit, ille certè graviori pœna afficiendus eſt, *per text. in l. 3. ibi consuetudini. C. de Epiſcop. audient. l fin. ibi,* abolitione criminis infamia non tollitur. *C de general. abolit.* Don. Garſ. Maſtrill. *de indultu. cap. 45. num. 47.* Unde vulgari ſtylo Cancellariæ, in Reſcriptis gratiæ adjicitur, **Wir wollen dir ſonſten / wann du wieder einkommeſt / altes vnd newes zuſammen rechnen.** Reiteratio enim criminis efficit, ut pœna ſemper ſit augenda, & multiplicanda. *per text. in l. capitalium, 28. §. ſolent. & §. graſſatores. D. de pœnis. l. 1. D. de jur. patron.* Gomez. *V. R. tit. de delictis. cap. 3. num. 6.* Nicol. Reusner. *lib. 2. deciſ. 20. num. 6.*

XXIV. Quod adeò verum eſt, ut delictum regulariter non capitale, propter ſolam quoque reiterationem capitaliter puniri poſſit, *per text. in l. 1. ibi: perſeveret. C. de Superexaction. libr. 10.* Ex quo reſcripto Angelus ibidem infert, quod reiterator criminum, etiamſi pro iisdem, ſeu quolibet ex eis veniret imponenda pœna pecuniaria, tamen propter delicti reiteratione pœnâ mortis naturalis puniri poſſit, & debeat. Angel. Bartol. Joan. de Platea. Lucas de Penna. & Jacob. Rebuff. *in dict. l. 1. C. de Superexaction.* Thom. Grammat. *vol. 9. n. 26. & 27.* Paul. Merenda. *dict. conſil. 90. n. 32. vol. 2.* Farinac. *conſil. crimin. 60. num. 23. lib. 1. ac lib. 1. crim. quaſt. 23. num. 1. & ſeqq.* Quoniam per delictum reiteratum & repetitum

tum præſumitur animus deliberatus, & proereſis delinquendi. *arg. Novell. 134. cap. & hoc verò. 6. ibi.* ſecunda juſſio. *ubi Gl. & Dd.* Thom. Grammat. *conſil. crimin. 8. num. 26.* Bartol. Cœppolla *conſil. crimin 39. n. 36. libr. 3.* Marſil. *ſingul. 378. poſt alios* Petr. Caball. *Reſol. crimin. 99. num. 51. & 52. centur. 1.* Quod *Doctores* in ſupremis Curiis adeo extendunt, ut quamvis aggratiatus per abolitionem plenam ſecuritatem acquirat, quod ſi tamen Titius poſt obtentam gratiam iterum delinquat hac principali ſecuritate ſe tueri non poſſit etiam quoad præterita delicta imputanda, pro quibus gratiam & ſecuritatem obtinuit, modo deliberato deliquerit: quod ex communi ſententia probat Proſper. Farinac. *quæſt. crimin. 29. n. 58. & 59.* Caball. *Reſol. crimin. 118.* & cum eis Chriſtoph. Creſpi de Valdaura, ſupremi Aragonum Conſilii Vice-Cancell. *obſerv. deciſ. 87. num. 32.*

CAPUT XVII.

De Præſcriptione Bonorum Domanialium,

& familiæ, An & quando noceat Principi aut Comiti Succeſſori?

SUMMARIA.

I. Q. An Præſcriptio Anteceſſoris noceat Succeſſori Principi Imperii in bonis juri Primogenituræ ſubjectis, quæ ab Anteceſſore alienata fuerunt, præſertim ſi conſenſus Imperatoris acceſſerit? Pro negativa afferuntur magni Viri, eorundemque rationes.

II. Confirmatur negativa ſententia textibus Iuris feudalis, & Conſtitutionibus Imperialibus.

III. Ampliatur ſententia hæc ſecundum Doctores, quod in alienatione bonorum juri primogenituræ ſubjectorum ne quidẽ temporis longioris præ-

ſcriptio quàm 40. annorum, præjudicare poſſit.

IV. Pro hac opinione allegantur plurimi Authores.

V. Authoris mens eſt: hanc ſententiam eſſe dubiam. 1. ob adverſantem textum feudalem. 2. quia agnatus præſcriptione annorum triginta facultate redimendi feudum privatur.

VI. Allegantur conciliationes diverſorum. Author decidit: Pacta familiæ, conſuetudinẽ regionis, &c. obſervanda eſſe in determinanda hac controverſia.

I. Occurrit hic practicalis Quæſtio, *An Præſcriptio Anteceſſoris noceat Succeſſori Principi Imperii in bonis juri primogenituræ ſubjectis, quæ ab Anteceſſore alienata fuerunt, præſertim ſi Imperatoris conſenſus acceſſerit?* Pugnat hoc in caſu communis opinio contra communem, quas recenſet Hieronym. Cævall. *quæſt.13.per tot.* Hujus quæſtionis reſolutio dependet ab illo dubio, quod latè deducit Andr. Fachin. *lib.7.controv.cap.12.* Si Vaſallus bona quædam feudalia alienaverit, ac proximior Agnatus ſpatio triginta annorũ revocare neglexerit, An ejusdem feudi Poſſeſſor tutus ſit præſcriptione adverſus alios Agnatos, qui poſt illius mortem gradu ſunt proximiores & feudi Succeſſores: Ac *negativam* ſententiam, ac quod triginta annorum lapſus, Agnato Succeſſori non obſit, habita differentiæ ratione inter feudum ex pacto & providentia ac inter feudum hæreditarium, magnæ autoritatis viri aſſerunt. Quam diſtinctionem inprimis obſervat Menoch. *conſil. 825. num. 51. ac conſil. 1098. n. 27. & ſeqq.* Joh. Petr. Surd. *conſil. 353. num. 28.* Anton Monach. *de recta feud. interpret. cap. 44. num. 61.* Merckelbach apud Klock. *conſil. 14. n. 15. & 16. vol. 2. & alii ab iis allegati.* Negativæ Reſolutionis fundamentum in hac juris ratione conſiſtit; Quoniam Principi Agnato Succeſſori jus in bonis

bonis primogenituræ ſubjectis, quæſitum eſt ex inſtitutione Primogenii, ex antiquis conceſſionibus ac inveſtituris partitionatis; quod per feudi alienationem ei auſſerre non poteſt abſque ejusdem conſenſu & beneplacito, *per cap. 1. ibi,* Niſi conſentientibus Agnatis ad quos beneficium quandoque ſit reverſurum. *de alienat. feud. patern.* Eo minus quoque Præſcriptio (qua poſſeſſor feudi alienati munitus eſt) temporis triginta annorum Principi Succeſſori obeſſe poteſt. Quoniam non valenti agere nulla currit præſcriptio, dum præſcriptio tunc demum incipiat, quando actio jam nata eſt. *per l. ſicut. verſ. quæ ergo. ibi*: ex quo jure competere cœperunt. *l. noviſſimi. §. quamobrem. C. de præſcript. 30. ann.* Auth. *Niſi tricennali.* ubi Anton. de Padilla. *C. bon. matern.* Atqui illis qui nondum nati ſunt, aut qui ante conditionis vel diei adventum, in quem vocati ſunt, agere non poſſunt, nulla negligentia imputari poteſt: Conſequenter contra illos ulla præſcriptio currere nequit. Nam ubi non eſt negligentia Succeſſoris, ad quem jus nondum devenit, ibi non debet eſſe pœna Præſcriptionis. *per l. 1. §. fin. C. de annal. except.* Crot. *in l. filiusfamilias. §. Divi. num. 146.* ubi Ripa. *n. 116.* Alciatus. *num. 40. D. de legat. 1.* Roſenthal. *de feud. part. 8. cap. 7. num. 55.* Præſertim cum Princeps jus in ſpe ad Ducatum habens ad exemplum Fidecommiſſarii antequam dies fidecommiſſi accedat & veniat, ſuccedere & ad Ducatus ſucceſſionem aſpirare non poſſit. *per l. 3. l. ſi habitatio. D. quando dies legat.* ſicuti in terminis Fidecommiſſarii tradunt. Marc. Anton. Natta. *conſil. 437. num. 5.* Roder. Suarez. *allegat. 3.* Decian. *conſil 60. num. 3. vol. 1.* Marc. Anton. Peregrin. *de fidecommiſſ. art. 41. n. 16.* Dn. m. Knipſchilt. *de fidecommiſſ. famil. cap. 16. num. 91. & ſeqq.*

II. Quod

II. Quod corroboratur quoque apertis juris feudalis textibus & Imperialibus, præſertim Imperatoris Lotharii Conſtitutionibus; quibus Imperatores hujusmodi alterationes amputantes ſanxerunt, quod Frater ſimpliciter in dando alteri Domino feudum, nihil ſuperſtiti fratri obeſſe debeat vel poſſit, licet in ſecundam vel tertiam generationem & usque in infinitum pervenerit beneficium. eſt *text. in cap. un. §. ſatis in fin.* ubi quoque Feudiſtæ communiter omnes. *lib. 2. feud. 52.* Concordat textus *in lib. 2. feud. 83.* ubi ordinatum eſt, quod ſi unus ex fratribus dederit feudi ſui partem Domino aut extraneo, ac ille ſine hæredibus deceſſerit, alter frater ſi vixerit vel hæres ejus ſine ullo obſtaculo & temporis præſcriptione beneficium hoc à quocunque poſſidente vindicare poſſit. Et hoc utpote veriſſimum ex uſu comprobato didiciſſe ipſe Feudiſta aſſerit. Andr. de Iſernia *ad dict. tit. 83. num. 7.* Laudenſ. *ibid. n. 8.* Afflictis. *n. 10. & Feudiſtæ paſſim.* Præterea huc facit, quod non obſtante præſcriptione Succeſſor in Ducatu bona Domanialia & feudalia ab Anteceſſore alienata repetere poſſit, & hæc ratio; Quoniam per conſtitutionem Imperatoris Friderici, de prohibita feudi alienatione, non tantum venditio & oppignoratio, ſed etiam præſcriptio & qualiscunque modus transferendi Dominii rei feudalis, interdictus & prohibitus eſt; ſicuti hoc latè deducit Afflictis *deciſ. 254. n. 1. & 2.* Roſenthal. *de feudis. cap. 9. concluſ. 97. lit. G. in gloſſa* Urirchberg. *tract. de feudo ex pacto & provid. cap. 5. n. 143. & ſeqq* Anton. Monach. *de feudor. rect. interpret. cap. 44. n. 64. & ſeqq.* Ita hanc ſententiam, quod nempe exceptio præſcriptionis triginta annorum in revocando feudo alienato ſucceſſori non noceat, tradit poſt alios Marc. Anton. Peregrin. *tract. d.*

Digitized by Google

tract. d. fideicommiſſ. art. 41. num. 17. ac conſil. 18. n. 15. & conſil. 14. num. 11. vol. 1. Petr. Anton. de Petra. *de fideicommiſſ. quæſt. 11. n. 606. & quæſt. 14. n. 205.* Schrader. *de feud. part. 5. cap. 4. n. 5. ac conſil. 31. num. 250.* plures adducit Roſenthal. *cap. 9. concl. 83. n. 12.* Surd. *conſil. 305. n. 24. ac conſil. 353. n. 31. & ſeqq.* Anton. de Amatis, *deciſ. 169. num. 29.* Cacher. *conſil. 21. n. 24.* Nicol. Everh. *vol. 2. conſil. 10. n. 34.* In terminis Majoratus Ludov. Molina *de primogen. libr. 4. cap. 10. num. 3.* Alios Doctores allegat Vincent. Fuſar. *de ſubſtit. quæſt. 528. num. 4.* Fulv. Pacian. *conſil. 20. num. 17.* Unde *Merckelbachius* famoſiſſimus Practicus conſulendo ſcribit: vnangeſehen die Præſcription etiam triginta annorum contra proximiores primi acquirentis vollendet; Dannoch in Feudo ex pacto & providentia den Nachkommen (qui hactenus agere non potuerunt) ſolche nicht läuffig noch verſtreichen können/ alſo daß den Succeſſoribus angeregte Lehen/ utili rei vindicatione einzufordern nachmahlen bevorſtehet. Thom. Merckelbach. apud Klock. *vol. 1. conſil. 7. num. 287. ac 411. ac vol. 2. conſil. 14. n. 17. ac inprimis conſil. 31. num. 14.*

III. Quod per modum *Ampliationis* adeò verum eſſe Doctores tam conſulendo quàm decidendo tradunt; ut in alienatione Bonorum juri Primogenituræ ſubjectorum Agnatis Succeſſoribus nec præſcriptio longioris quam quadraginta annorum, imo ne quidem temporis immemorialis præjudicare poſſit. Roland. à Vall. *conſil. 68. num. 26. vol. 3.* Cravetta *de antiquit. tempor. part. 4. §. materia. n. 68.* Franc. Bec. *conſil. 130. n. 35.* Per rationem jam ſupra adductam, quod non valenti agere in æternum non currat præſcriptio. Franciſc. Curt. Jun. *conſil. 181. num. 4. & 5.* Vincent. Fuſar. *de ſubſtit. quæſt. 528.*

Ff *num. 4.*

num. 4. Hinc optimè in terminis jurium Majoratus veluti collectarum, Decimarum, Tertianarum, Johannes Baptiſta Larrea ſcribit: Quando jus vel privilegium aliquod Regibus Hiſpaniæ, ac ita omnibus in Regno Succeſſoribus (ratione dignitatis) competit, tunc eis prædeceſſorum negligentia non nocet, quia ex proprio jure ſuo ſucceſſores tali privilegio utuntur. Ac in materia ſucceſſiva quilibet habet jus per ſe & tanquam independens ab alio. Nec unquam currit præſcriptio ad actum aliquem explicandum, antequam ille actus incipiat explicari poſſe. Conſequenter, Præſcriptio etiam immemorialis non poteſt incipere antequam actio nata ſit; Ideò in Majoratibus negligentia prædeceſſorum non nocet Succeſſori, qui habet in ſe jus proprium. Quia non poteſt concurrere poſſeſſio contra aliquem, antequam illius jus purificetur. *per l. fin. §. ſed quia. D. Comm. de legat. l. 1. C. de bon. matern.* Hæc Larrea *allegat. fiſcal. 16. num. 21. & 22.* Ac in materia Fideicommiſſi, Majoratus, Feudi partitionati, tot ſunt conceſſiones, quot perſonæ, adeò ut Anteceſſoris factum Succeſſori utpote ex propria perſona ad feudum partitionatum accedenti obeſſe non poſſit, ſecundum ea quæ tradit Clarius, & latius Steph. Gratian, *diſcept. forenſ. 247. n. 10.* Mieres *de Majorat. part. 4. quæſt. 21. n. 6.* Quo faciunt tradita à Joſeph à Seſſe, *deciſ. 74. num. 25.*

IV. Et hanc opinionem, quod ne quidem lapſus temporis immemorialis in alienatis bonis familiæ noceat Succeſſori, tenent tàm conſulendo, quàm decidendo Andr. de Iſernia *in cap. 1. §. his quoque, de feud. ſucceſſ.* & ibidem Alvarot. Afflictis. *in cap. 1. §. Titius. n. 7. ſi de feud. defunct.* Abbas Panormitan. *conſil. 101. n. libr. 1.* clarè

Marc.

Marc. Ant. Natta. *conſil.* 437. *n.* 5. & 6. Cacheran. *deciſ.* 177. *per tot.* Menoch. *conſil.* 1098. *num.* 27. & *ſeqq.* Ac ita Cameram Imperialem in cauſa Galler contra Brandenburg/ Anno 1569. judicaſſe, (cujus præjudicii meminit quoq; Andr. Gail. 2. *obſerv.* 149. *n.* 8.) ubi 70. plus minus annos elapſos fuiſſe, antequam vindicanti vel condicenti Agnato locus ſuccedendi fuiſſet apertus, impediente eo, qui conſenſerat, conteſtatur Roſenthal. *de feudis. cap.* 9. *concl.* 84. *num.* 4. ubi tradit, quod nec centum vel ducentianni prælapſi reliquis agnatis in bonis feudalibus partitionatis noceant, *in allegat. lit. E.* qui plures authores allegat. Quibus aſtipulatur Marc. Anton. Peregrin. *conſil.* 18. *num.* 15. Qui hoc juris eſſe aſſerit, in Fidecommiſſis perpetuis, Majoratibus, primogeniis ac feudis. idem *in conſil.* 28. *per tot. Idem tract. de fideicommiſſ. quæſt.* 41. *n.* 17. *ac in tr. de jur. fiſc. tit. de præſcript. n.* 17. Qui plures rationes & authoritates adducit. Hartman. Piſtor. *libr.* 2. *quæſt.* 8. *num.* 73. *per tot.* Ludolph. Schrader. *de feudis part.* 5. *cap.* 4. *num.* 5. Merckelbach. apud Klock. *conſil.* 14. *num.* 17. *vol.* 2. Dn. Knipſchilt. *de fideicommiſſ. famil. cap.* 16. *n.* 97. Joh. Baptiſta Larrea allegat. *fiſcal. cap.* 18. *num.* 21. & 22.

V. Verum enimvero ſuperius relata opinio, quod nempe triginta annorum lapſus Succeſſori in feudo familiæ & partitionato non noceat, quo minus bona ab Anteceſſore alienata vindicare poſſit, dubio non caret. Idque ex duplici ratione. Tum *Primo* propter manifeſtam contradictionem *textus feudalis in cap. un. §. Titius. lib.* 2. *feud.* 26. ubi conſtitutum eſt, ac Feudiſtæ communiter tradunt, quod ſi Vaſallus feudum antiquum in Agnatum remotiorem alienaverit, ac proximior Agnatus ſciens non contradixerit, is lapſu unius anni removeatur.

veatur. Sin verò alienatio in planè extraneum facta ſit, Agnati indiſtinctè ſpatio triginta annorum à revocatione feudi alienati arceantur. Franciſc. Balb. *de præſcript. part. 4. quæſt. 12. n. 19.* Cunrad. Rittershuſ. *de feud. cap. 18, n. 22.* Roſenthal. *de feud. cap. 9. concluſ. 95. per tot.* Et hunc paragraphum, *Titius*, Feudiſtæ aliàs mirificè torquent, ſicuti videre licet apud Hartm. Piſtor. *lib. 2. quæſt. 8. n. 31. & ſeqq.* Fachinæ. *lib. 7. controv. cap. 10.* vide quoque Gotofr. Ant. *disput. feud. 10. theſ. 6. lit. E.* Franciſc. de Clapperiis, *deciſ. 54. paſſim.* Tum *ſecundò*, quod Agnatus ignorans feudum familiæ alienatum eſſe, quamvis jure revocandi feudum gaudeat, aſt ille curſu & præſcriptione annorum triginta facultate redimendi feudum privetur. Roſenthal. *de feud. cap. 9. concluſ. 93. n. 16.* Lud. Schrader. *eod. tract. part. 8. concluſ. 7. n. 47.* Hartm. Piſtor. *2. quæſt. 12. n. 36. & ſeqq.* vide Tiraquell. *de jur. primogenit. quæſt. 30. per tot.* Ita in terminis Iohan. à Sande *tractat. de prohib. rer. alienat. cap. 7. §. 5. n. 52. & ſeqq.* Decker. *diſſert. 15. lib. 1.* qui ſub *n. 15. in fin.* ſcribit: *In aperto jam eſt, quod fideicommiſſa conditionalia non minus ſint obnoxia præſcriptionum juri, quam quælibet alia res liberæ diſpoſitionis, per l. ſin. §. ſin autem. C. comm. de legat.* Et paulò ante. *Nec hic quicquam valet vulgare illud dictum:* Non valenti agere nullam currere præſcriptionem: *Quoniam pendente conditione currit præſcriptio contra Dominum, hæredem aut legatarium gravatum, cui primæ partes agendi & defendandi competebant: Id quod vel exinde conſtat liquido, quod ſententia lata contra gravatum, noceat fideicommiſſario, per l. ex contractu. D. de re judic. l. ante facta in p. & l. ſi patroni D. ad Trebell. l. 1. §. penult. D. de veat. in ſpic.* Hæc Decker. *in deciſ. lib. 1. diſſert. 15. num. 15.* Cæterùm has *contrarias opiniones* in concordiam reducere tentat, cum aliis Hieronomus Cævallor; ſcilicet ut prior

opinio

opinio removendo præſcriptionem in bonis alienare prohibitis, procedat in præſcriptione longi temporis, ſcilicet 10. aut 20. annorum. Poſterior verò opinio locum habeat in præſcriptione 30. vel 40. annorum, quo temporis ſpatio elapſo Poſſeſſor rei fidecommiſſo ſubjectæ ſecurus erit. Ita Carol. Molinæ. *ad Alexandr. conſil. 29. vol. 3.* Socin. *conſil. 251. & conſil. 266. vol. 2.* Peregrin. *de fidecommiſſ. art. 41. num. 10. 16. & 17.* qui hanc opinionē communem dicit, ubi Franciſc. Cenſalius in obſervat. Fuſar. *de ſubſtit. quæſt. 528. n. 6. & 7.* poſt alios Gilmon. *de la motta ad Molinam. lib. 4. cap. 10. num. 1.* ubi præjudicium refert Caldes Pereira. *var. Reſol. 51. num. 4.* Petr. Barboſa *ad Rubr. C. de præſcript. 30. vel 40. annor.* qui ſub *n. 208. tradit:* Quamvis ſint, qui cenſeant Bona majoratus non poſſe præſcribi, licèt fuerint alienata per quendam tertium, ea ratione, quia in majoratibus prohibitio dirigitur in rem, & non in perſonam, ſecundùm Petr. Paul. Pariſ. *conſil. 72. num. 89. lib. 4.* Ideo per quemcunque alienata ſint hujuſmodi bona, præſcriptio tamen non procedat. Hæc tamen Ratio non obſtat; quoniam etſi Teſtator dirigat prohibitionem in rem: Non potuit tamen irritare titulum habentem ab eo, quem non honoravit. *per l. ab eo. C. de fidecommiſſis.* Ideo alienatio hæc facta per illum tertium, ſemper mero jure valebit, & tribuit cauſam præſcribendi; ſicuti animadvertit Corneus *conſil. 304. num. 20. lib. 3.* latius Petr. Barboſa *ad dict. rubr. num. 209. & ſeqq.* Verumenimverò in determinanda hac controverſia multum pactis familiæ, conſuetudini regionis, quantitati rei alienatæ & diſcreto Judicis arbitrio tribuendum, & exinde deciſio quæſtionis hujus ſumenda erit.

 CAP. XVIII.

CAPUT XVIII.

De Præſcriptione immemoriali, quatenus ea Principi Succeſſori in Bonis Domanialibus & familiæ noceat.

SUMMARIA.

I. *Q. An Præſcriptio immemorialis in revocatione bonorū familiæ alienatorum Agnatis Succeſſoribus noceat, eosque penitus excludat? Affirmativa proponitur & probatur aliquot rationibus, confirmaturque teſtimoniis pluriū Authorum.*

II. *Author tandem aſſumit, eoque magis veram eſſe, aſſerit 1. ſi alienatio redundarit in utilitatem Anteceſſoris.*

III. *2. Si quæſtio ſit de feudo hereditario. 3. ſi poſſeſſor hujusmodi Prædii aut Caſtri mediatè tantùm cauſam habeat à perſona gravata vel alienare prohibita.*

IV. *4. Si alienatio facta eſt ex cauſa aliqua neceſſitatis.*

V. *Reſpondetur ad obſtantem Regulam: non valenti agere nulla currit præſcriptio.*

I. MAjor difficultas exiſtit, & graviores Interpretes juris reperiuntur, qui tradunt, quod *Præſcriptio immemorialis* in revocatione bonorum familiæ alienatorum Agnatis Succeſſoribus noceat, eosque penitus excludat, vnd das vermittelſt einer vnerdencklichen Verjahrung / auch den noch nicht gebohrnen Poſteris der Weg zur revocation der alten vereuſſerten Stammlehen verſperret ſeye. Tum quoniam præſcriptio centenaria & cujus initii memoria non reperitur, eſt admodum privilegiata, adeo ut ſi lege vel ſtatuto ſublata ſit præſcriptio, non tamen intelligatur ſublata immemorialis; quæ non admittit probationem in contrarium, Alexand. *conſil. 6. lib. 1.* latè Cephal. *conſil. 468. n. 61. & conſil. ſeq.* Tum quoniam

præſcri-

præſcriptio immemorialis, tantæ ſit virtutis, quæ etiam in Regalibus & Reſervatis Principum currat, etiam ſupremo Domino ignorante. Franciſc. Balb. *de præſcript. in 2. part. 5. part. princ. n. 19.* Tum quod Præſcriptio immemorialis etiam adverſus non natos & agere non valentes currat, etiam in feudalibus, ſecundùm Socin. jun. *conſil. 76. num. 61. n. 85. usque ad num. 90. lib. 1.* Choppin. de Domanio. Sixtin de Regal. Sicuti jure Romano, omnia domanialia prædia quadraginta annis præſcribuntur, *per l. omnes. C. de præſcript. 30. annorum. l. fin. C. de fund. patrum lib. 11.* Ac Siculorum, Polonorum & Ungarorum legibus res dominicales ſpatio centum annorum præſcribuntur. Johan. à Sande, *de prohib. rer. alien. cap. 6. n. 28. & 29.* Tum quoniam publica Imperii utilitas exigit, ut tanto temporis lapſu omnes prætenſiones & omnia jura competentia intereant, ad evitandam Dominii incertitudinem, ſeu ne Principes Imperii in poſſeſſione tanto tempore quiete habita turbentur, ne tandem partes ad arma venire neceſſe habeant. Unde optimè *Deckerus* ſcribit in terminis; quod durum foret & exemplo noxium Reipublicæ, poſſeſſionem triginta vel quadraginta annorum firmatam concuti & vindicari. *contra l. ſicut & l. omnes C. de præſcript. 30. annor.* Joan. Decker. *in deciſ. libr. 1. diſſert. 15. num. 15.* Ita in terminis tradunt Corneus, *conſil. 304. n. 19. vol. 3.* Marian. Socin. Jun. *conſil. 76. num. 100. vol. 1.* Rolandus à Valle in terminis feudi Regali ſcribens *in conſil. 3. num. 81. & 82. vol. 1.* Flammin. de Rubeis *conſil. 77. n. 230. & ſeq. lib. 2.* Cephal. *conſil. 403. num. 50.* Tiber. Decian. *conſil. 24. num. 115. libr. 1.* Nicol. Everhard. Jun. *vol. 2. conſil. 10. n. 34. 62. & 100.* Anton. Gomez. *ad leg. Taur. 40. n. 90. in fin.* Vaſquius *de ſucceſſ. lib. 3. §. 26. n. 129. & ſeqq.* Anton. Sola *ad conſuet. Sabaud.*

Digitized by Google

baud. tit. de alien. bonor. feud. gloſſ. 1. n. 20. Ludov. Molina, *tract. de jure primogen. libr. 4. cap. 10. n. 20.* Fulv. Pacian. *conſil. 20. num. 135.* Suarez, *allegat. jur. 3. num. 4. & 5.* Intrigliol. *de feud. cent. 2. art. 32. num. 43.* latè Arias Penellus *ad auth. triennali. num. 55. de bonis maternis.* Poſt alios in terminis Franc. de Caldar. *lib. 1. quæſt. forenſ. 23. n. 109.* Franc. Balbus *de præſcript. in 5. part. Quitita part. princ. quæſt. 4. n. 5. ac quæſt. 9. num. 2, & 3.* Anton. Gabriel. *in Comm. concluſ. 13. n. 12.* ubi poſt Baldum tradit, quod bona alienari prohibita favore publicæ utilitatis, nihilominus centenaria præſcriptione acquirantur. Bald. *conſil. 121. in fin. vol. 4.* Petr. Barboſa *tract. de præſcript. 30. vel 40. annor. in rubr. num. 399.* Qui bona Majoratus particularia eò facilius centenario temporis lapſu ſine ulla juris inquietudine acquiri tradit. Ludov. Molina *Jeſuita de juſtit. & jur. disp. 75.* Gylmon de la Motta *ad Molin. de primogenit. num. 10.* Franc. Niger Cyriac. *controv. forenſ. 3. à num. 63. & ſeqq.*

II. Et hanc opinionem ad conſervandam quietem Imperii publicam ego lubens meritoque amplector. Et hæc Reſolutio (nempe quod bona ex feudo partitionato ab Anteceſſore alienata à Principe Succeſſore poſt lapſum temporis immemorialis repeti & revocari non poſſint.) *Primò* eò magis vera eſt, tali in caſu, quando alienatio vel alius contractus cujusque generis communi opinione redundavit in utilitatem Prædeceſſoris contrahentis, nedum etiam in utilitatem omnium ſucceſſorum, quibus ſingulis, ſi caſus in eorum perſonis eveniſſet, expediens fuiſſet ita contrahere. *per text. in l. debitor meus 13. ubi* Julianus ſcribit, in eo verti quæſtionē, ut animadvertamus an juſtam cauſam habuerim ſeponendorum centum D. *de negot. geſt.* Menoch. *conſil. 589. num. 25.*

n. 15. & 19. Schrad. *de feudis, part. 8. cap. 2. ſub n. 6.* Quoties autem negotium utiliter geſtum eſt tunc jus, ad cujus utilitatem geſtum eſt, illud ratum habere tenetur. *per l. ſi is qui negotia 50. in pr. ibi*: nec refert *D. mandat.* Alber. de Roſate & Fulgoſ. *ad l. ſi is qui negotia.* Cravetta in terminis Ducatus loquens. *conſil. 404. num. 22.* Hinc Feudiſtæ communiter tradunt, quod Vaſallus Succeſſor feudi, æs alienum propter feudi meliorationem contractum omnino ſolvere teneatur. *argum. cap. 1. §. ſi vaſallus. libr. 2. feud. 28.* Roſenthal. *de feudis cap. 7. concluſ. 22. in fin. ac cap. 9. concl. 15. num. 10.* Ita in terminis tradunt Franc. Niger. Cyriac. *controv. forenſ. cap. 3. num. 75. & ſeqq. libr. 1.* Joh. à Sande *tract. de prohib. rer. alienat. part. 1. cap. 7. n. 26.* Quod exemplis hiſtoricis illuſtrat Renat. Choppin. *tr. de Doman. Franc. lib. 3. tit. 16. num. 1.*

III. *Secundò* præfata Reſolutio eò magis locum habet *in feudo hæreditario.* Nam præſcriptio, per quam quis non juſtus vaſallus vel extraneus contra verum vaſallum feudum præſcribit, in feudo hæreditario, etiam filiis vaſalli, qui hanc præſcriptionem labi patitur, nocet. Schrader *de feud. part. 5. cap. 4. num. 5.* Petr. Paul. Pariſ. *conſil. 23. n. 199. vol. 1.* Joan. Petr. Surd. *conſil. 353. n. 31.* Menoch. *conſil. 829. num. 51.* Merckelbach. apud Klock. *conſil. 14. num. 17. vol. 2.* *Tertiò* præfata *Reſolutio*, quod præſcriptione etiam bona feudalia ex pacto ab extraneo firmiter acquirantur, fortius procedit, ſi poſſeſſor hujusmodi prædii & caſtri mediatè tantum cauſam habeat à perſona gravata vel alienare prohibita. v. gr. ſi Titius tale caſtrum feudale pactitionato onere affectum à primo Emptore acquiſiverit. Et hoc non ſine ratione; quamvis enim prima venditio ab ipſo gravato ſeu prohibito

facta vitioſa fuerit: Non tamen propterea omnes ſequentes emptiones vitioſæ cenſendæ ſunt. Quamvis n. primi emptoris emptio nulla ſit, ut ex ea uſucapio non procedat; Hoc tn. nihil facit ad ſecundum emptorem, qui nullam cauſam à gravato habet, & quem nec teſtatoris, à quo nullo beneficio affectus eſt, præceptum tangit. Nec ipſi nocere poteſt conventio inita inter gravatum & primum emptorem. *per l. 2. & 3. C. inter alios acta aliis non nocere.* Ita ratiocinatur Joh. Deckerus *in deciſ. lib. 1. diſſert. 15. num. 15. verſ. Tertius eſt.* Quem ſequitur Joh. à Sande *dict. tract. part. 3. cap. 8. n. 56.* Et ante hos Philipp. Cornæus *conſil. 304. n. 20. vol. 3.* Fachinæ. *lib. 2. conſil. 57. num. 14.* quamvis diſſentiat Hieron. Grat. *conſil. 22. n. 37. & ſeqq. libr. 2.*

IV. *Quartò* feudum pactitionatum vel in totum vel pro parte alienatum ex cauſa neceſſitatis à ſucceſſore revocari nequit. ut puta ſi alienatio facta propter alimenta feudatarii ejusq; familiæ, ex quo deſumpta eſt Auth. *contra. in fin. C. ad SCt. Trebell. arg. Nov. 108. cap. 1.* vel propter redemptionem ipſius poſſeſſoris ab hoſtibus, ſecundùm Bartol. *in l. quemadmodum. C. de agricol. & cenſ. libr. 11. DD. in l. Marcellus. §. res quæ. D. ad Trebell.* Fuſar. *de ſubſtitut. quæſt. 536. num. 3.* Steph. Gratian. *diſcept. forenſ. 832. n. 35. & 36.* Ant. Faber. *in Cod. lib. 6. tit. 23. defin. 4. n. 4. & 5.* Vel ſi alienatio caſtri fiat ad belli ſumptus ſubſtituendos, aut ſtipendia militaria perſolvenda. Renat. Choppin. *de Doman. Franc. lib. 2. tit. 14. n. 4. & 14.* Joh. à Sande, *dict. tr. part. 1. cap. 6. num. 22. & 23.* Aut ſi prædium feudale fuerit ſterile, & non frugiferum, ſed magis damnum quam lucrum adferret. *arg. l. mulier. §. ſed etenim. ibi:* ſed & ſi diſtrahere deberet, non fecit D. ad Trebell. Quoniam

niam prohibitio alienationis à lege facta, non habet locum in alienatione neceſſaria. *per text. in l. cum fidei. D. de fideicommiſſ. hæred. l. 1. C. de præd. minor. l. 1. D. de fund. dotali.* Prenetind. *deciſ. 21. à n. 17. & ſeqq.* Tiraquell. *de jur. retractus. §. 1. gloſſ. 14. num. 11.* latè Cephal. *conſ. 520. num. 30. & ſeqq. vol. 4.* Unde hæres Fidecommiſſarius bona per teſtatorem prohibita, ea ex cauſa neceſſitatis alienata non cenſetur venire contra diſpoſitionem Teſtatoris. *per l. filiusfamilias. §. Divi. 2. D. de legat. 1.* latè Paul. Æmil. Gallus *tract. de exception. contra ſucceſſ. part. 3. tit. 2. except. 4. num. 106.* Ita in terminis tradit Ludovic. à Peguera *deciſ. Catalon. 106. per tot.*

V. Nec refellit affirmativè reſolutam aſſertionem (quod tempus immemoriale noceat Principi Succeſſori in vidicandis bonis familiæ) ſupra allata ratio, cui principaliter & unicè ferè innituntur diſſentientes, ſcil. *quod non valenti agere, nulla currat præſcriptio*; præſertim contra nondum natos, & jus ſuccedendi in ſpe tantum habentes. Ac ubi nulla negligentia imputari poteſt, ibi nulla quoque pœna præcluſionis eſſe debet. Nam reſpondetur, quod Agnatus in bonis fidecommiſſo aut juri primogenituræ ſubjectis & obnoxiis, jus acquiſitũ jam habeat à primo acquirente aut conſtituente Fidecommiſſum vel Primogenituram, cum in Fidecommiſſo familiæ Agnatum ſuccedere dicatur non ultimo morienti ſeu poſſeſſori defuncto, ſed primo acquirenti, dum reſpectus habetur ad primos fideicommiſſi relictores, à quibus de familia prognati jus ſuum obtinuerunt. Crot. *in l. filiusfamilias. §. Div. num. 160. D. de legat. 1.* Hardvic. à Daſſel *conſil. 12. n. 16. libr. 1.* Unde ſi poſſeſſor Fidecommiſſi vel Ducatus bona quædam contra pacta

familiæ aut contra naturam Ducatus alienaverit, proximior Agnatus ad quem ſucceſſio caſu eveniente devolvitur, bona hæc irritè alienata, etiam vivente Alienatore vindicare poteſt: Cum Dominium cum effectu non transferatur. *arg. l. Servo alieno. §. ſi teſtator. D. de legat. 1. l. peto. 69. §. fratre. 3. l. cum pater. 71. §. libertis. 77. D. de legat. 2.* Marc. Freccia *de ſubfeudis libr. 2. tit. de jure feudor. alienand. num. 26. fol. m. 108.* Alexand. *conſil. 38. num. 3. lib. 2.* Johan. Petr. Surd. *conſil. 116. num. 24. lib, 1.* Farinac. *part. 2. deciſ. 73. num. 1.* Stephan. Gratian. *diſcept. forenſ. 832. n. 16.* & paſſim Vincent. Fuſar. *de ſubſtitut. quæſt. 553. & 554.* Dn. Philip. Knipſchilt. *de fideicommiſſ. famil. cap. 13. n. 15. & 18.* Quam alienationem ſi proximior Agnatus tanquam futurus ſucceſſor revocare neglexerit, utique in culpa & mora exiſtit: cujus culpam & deſidiam utiq; ejusdem etiam nondum nati luere debent. *arg. §. Titius. ubi communiter Feudiſtæ libr. 2. feud. 26.* Nam ſi Agnatus proximior ſcivit alienationem & tacuit, in culpa eſt, ut contra eum præſcriptio decem annorum currat, ſin verò ignoravit, curſus tamen triginta annorum ejusdem conſenſum tanquam tacitum, eive nocivum inducit; ſiquidem tanti temporis taciturnitas conſenſum inducit, ſecundùm Felinum *in cap. quæ in Eccleſiarum. num. 123. X. de conſtit.* Afflictis *de feudis. tit. quemadmod. feud. ad filiumſ. n. 11.* Mandel. Alban. *conſ. 105. n. 2.* Paul. Æmil. Gall. *tr. de except. contra ſucceſſ. part. 3. tit. 2. except. 4. n. 83. & ſeqq.* Quod ſi proximior Agnatus agere & rem alienatam revocare nolit, aut ſuperſedeat, tunc Remotiores de familia proximè ſequentes ad agendum jus habent & admittuntur. *per l. peto. 69. §. fratre. 3. l. cum pater. 77. §. libertis. 27. D. de legat. 2.* Vincent. Fuſar. *de fideicommiſſ. ſubſtitut. quæſt. 318. num. 107. & ſeqq. ac quæſt. 739. n. 7.* Joh. Guttierez.

rez. *libr. 3. pract. quæſt. 41. n. 18.* Mieres *de Majorat. part. 3. quæſt. 9. & quæſt. 4.* Roder. Alvarod. *de conject. ment. defunct. lib. 2. cap. 3. num. 102.* Ludov. Molin. *de Hiſpan. Primog. libr. 4. cap. 1. n. 3. qui ſub 14.* tradit, quod ad inſtantiam Agnati remotioris, proximiori certus terminus ſit præfigendus, intra quem alienationem bonorum familiæ revocare teneatur, quo elapſo ſequenti in ordine locus ad agendum vacet. *per l. fin. C. qui admitti ad bon. poſſeſſ. l. generaliter. 3. §. 1. verſ. Imperator. ff. de Decurion.* Quod etiam in Feudis familiæ locum habere, cum etiam illa naturam Fidecommiſſorum induant, tradit Albertus Brun. *conſ. feud. 67. n. 10.* Ubi in ſpecie de petendo præfigi terminum ad revocandam alienationem ſcribit. Alber. de Roſate *in l. fin. in pr. col. ult. C. de furt.* Tiraquell. *de jur. retract. tit. 1. §. 1. gloſſ. 10. n. 60.* Schrader *de feud. part. 8. cap. 7. n. 54.* qui tamen aliquatenus hæſitat. Dn. Knipſchilt. *dict. tract. cap. 13. n. 26.* qui tamen *cap. 16. n. 99.* aliter ſentit Dn. m. Bocer. *tract. de mod. amitt. feud. tr. 1. cap. 1. n. 86.* Hinc optimè in terminis noſtris ſcribit Joſeph. de Seſſe: quod ſucceſſor futurus in Ducatu aut Majoratu jus habeat de præſenti obviandi diſſipationi vel alienationi bonorū majoratus, illi præſenti præjudicio, propter jus radicatum, quod in Ducatu aut Majoratu habet. Joſephus de Seſſe *deciſ. 115. num. 55.* & ante eum Suarez. *alleg. 4.* Garſia *de nobilit. gloſſ. 47. num. 13. & 16.* Lud. Molin. *libr. 3. cap. 14. num. 32.* Ac quod poſſeſſor Majoratus, ſi dilapidat, ante mortem conveniri poſſit, tradit quoque Fab. de Anna. *controverſ. 11. n. 7. 8. & 14.* Alvar. Valaſc. *conſult. 184. paſſim.*

INDEX CAPITUM.

Cap. I. De Principum & Statuum Imperii legalitate in aſſertionibus in genere.

II. De Principum & Comitum Imperii legalitate & bona fide in tractatib. & contractibus, aliisve actionib. in ſpecie ſic dictis.

III. De Principe aſſerente, ſcribente aut atteſtante aliquid de facto proprio, v.g. Ærarium eſſe exhauſtum: Reditus non ſufficere: ex juſta neceſſitate eum petere tributum.

IV. De Principe atteſtante & ſcribente de facto tertii, non coram ſe geſto.

V. De Principe Imperii aſſerente aut ſcribente aliquid in Iudicialibus, ſcilicet tanquam Actor, Accuſator; aut ſi tanquam teſtis aliquid deponat, quatenus fidem mereatur.

VI. De Principum aliorumve Illuſtrium Imperii Statuum aſſertione ſub Fide Principali.

VII. De remiſſione juramenti; ac an Princeps atteſtans in judicio tanquam teſtis, ſub fide principali, nihilominus corporale juramentum præſtare teneatur?

VIII. De pactis & promiſſis ex neceſſitate publica, per vim aut metu majoris mali expreſſis & extortis.

IX. De pactis ex neceſſitate publica juramento corroboratis.

X. De Principis ac Status Imperii legalitate ex facto aut dicto ſui Anteceſſoris, quatenus illud præſtare & adimplere teneatur?

XI. De Pace tàm Religionis, quàm Politica à Principe concluſa, & à Principe Succeſſore ſanctè ſervanda.

XII. De Contractu à Principe Imperii inito, & à Principe Succeſſore omninò obſervando. Ubi de Feudi Conceſſione & Locatione prædiorum.

XIII. De Privilegiis à Principe Imperii conceſſis, & à Principe Succeſſore cuſtodiendis; quatenus procedat? Ubi de Donatione.

XIV. De debitis à Principe aut Comite Imperii contractis, & à Principe Succeſſore agnoſcendis, quatenus verum obtineat? Ubi animadverſio inter Principem Eccleſiaſticum & ſecularem.

XV. De

XV. *De Principis Expectativa Conceſſione & de primariis Precibus, quas Succeſſor regiminis ſartas tectas obſervare tenetur.*

XVI. *Declarationes quædam ſupra dictorum, quatenus Succeſſor Principis Anteceſſoris pacta tàm ſtrictè ſervare teneatur.*

XVII. *De Præſcriptione Bonorum Domanialium & familiæ, An & quando noceat Principi aut Comiti Succeſſori?*

XVIII. *De Præſcriptione immemoriali, quatenus ea Principi Succeſſori in bonis Domanialibus & familiæ noceat.*

INDEX QVÆSTIONUM.

Quæſt. I. *An dictum Principis vel* Comitis Imperii *plenam faciat fidem? Pag.* 6.

II. *An Principis Imperii aſſertioni in inveſtituris de bene meritis ſui Conſiliarii, absque alia meritorum probatione plenè credatur?* p. 21.

III. *An Princeps Conſiliario ſuo beneficium aliquod in remunerationem meritorũ concedens, illud ſucceſſu temporis revocare poſſit?* 28.

IV. *An ſoli Principis aſſertioni ſive voce, ſive literis factæ ſtetur?* 33.

V. *An credatur Principi, aſſerenti, ærarium eſſe exhauſtum?* 39.

VI. *An pro Principe militet præſumptio juſtæ cauſæ in imponenda collecta?* 41.

VII. *An Principi referenti maleficium de Sempronio credatur, ejusque aſſertioni in criminalibus fides adhibeatur?* 54.

VIII. *An Principis aut Comitis Imperii Promiſſio ſub fide & dignitate Principali, aut aſſertio* bey Fürſtlichen Ehren und Worten: *vim juramenti realiter præſtiti habeat, ac effectus juramenti inducat?* 67.

IX. *An per verba: ſic me Deus adjuvet! juramentum inducatur?* 89.

X. *An Filiæ Illuſtris renunciatio ſub fide generoſitatis ſit efficax?* 99.

XI. *An obligatio ſub fide Principali paratam habeat executionē?* 105.

XII. *An teſtimonium ſub fide Principali depoſitum habeat vim juramenti?* 107.

XIII. *An ſi Partes Principi Imperii aut alii illuſtri perſonæ juramenti corporalis præſtationem remittere nolint, à Iudice vel Commiſſario cogi poſſint, ad præſtationem juramenti corporalis; ac annon aſſertio ſub fide Principali hunc præſtationis defectum ſupplere poſſit?* 108.

XIV. *An Princeps promiſſa ex neceſſitate publica, ceſſante neceſſitate, infringere queat? ac annon vis, carcer, metus, fœdera irritare poſſit?* 117

Digitized by Google

INDEX QVÆSTIONUM.

XV. An fœdera, pacta ac promiſſa Principum & Magnatum juramento ex publica neceſsitate & vi bellica corroborata, firma ſint & maneant? 141.

XVI. An Princeps aut Comes Imperii Succeſſor in Ducatu aut Comitatu ex dicto, facto, pacto aut ſtipulatione Anteceſſoris obſtringatur? 155.

XVII. An Princeps Imperii privilegium merè gratioſum aut donationem vel aliud beneficium ab Anteceſſore collatum pro lubitu revocare poſſit? 174.

XVIII. An Succeſſor Principis poſſit Conceſsiones ſuper delatione Inſignium factas revocare? 175.

XIX. An gratia & conceſsio primarum precum ad beneficium Eccleſiaſticum, etiam poſt mortem Imperatoris duret, ut Succeſſor in Imperio illud revocare nequeat, in eo caſu, quo beneficium ab Impetrante nondum acquiſitum fuit? 193.

XX. An Imperator Anteceſſoris ſui inveſtituram abuſivam de feudo Imperii titulato (quam vulgo expectativam vocamus) caſu eveniente obſervare, ac feudum eo regnante apertum Principi impetranti conferre teneatur? 194.

XXI. An Rex aut Princeps Titio criminis reo, in actu inaugurationis aut alio tempore ſui Regiminis pœnam remittens, poſtmodum pœnitentià ductus, Regi aut Principi Succeſſori ſuo per Teſtamentum, vel vivâ voce moribundus de jure in mandatis dare poſſit, ut poſt ejusdem mortem Titium reum ad ſupplicium ducat? ac Princeps Succeſſor illud adimplere teneatur? 201.

XXII. An Præſcriptio Anteceſſoris noceat Succeſſori Principi Imperii in bonis juri primogenituræ ſubjectis, quæ ab Anteceſſore alienata fuerunt, præſertim ſi Imperatoris conſenſus acceſſerit? 220.

XXIII. An Præſcriptio immemorialis in revocatione bonorum familiæ alienatorũ Agnatis Succeſſoribus noceat, eosq́; penitus excludat? 228.

E R R A T A.

In pagina 169. ea quæ habentur à linea 20. ad lineam 5. pag. 170. transponenda ſunt in paginam 172. & proximè præponenda lineæ 9. Pag. 169. l. 25. pro 4. pone 6. pag 172. l. 9. pro IV. pone I. Pag. 175. l. 26. interſerenda & vocabulo *Veruntamen* præponenda ſunt ſequentia, *An Succeſſor Principis poſſit Conceſsiones ſuper delatione inſignium factas revocare?*

Cætera, ſi quæ fortè irrepſerunt, Benev. Lect. corriget.

F I N I S.

ANT 1318259

Digitized by Google